LECTOR benevole, In veſtibulo hujus libri exhibuimus Solares obſervationes annorum unum & viginti continuorum, quas Caſſellis Heſſorum, cum nobis eſſet facta iſtarum copia, tanquam ſpicilegium duntaxat ex ſpiſſiſſimo opere optimi illius Principis, &, ſi quis unquam alius, æternum de iſtis artibus benè meriti, olim deſcripſimus. Iſtud tantum ſecuti, ut tanquam eclogarij ſolis epochas maximè utiles enotaremus. Cujuſmodi ſunt loca prope æquinoctiorum nodos, aut remotiſsimas ſolis converſiones, & ea quoque quæ inter iſta ſedibus ut proximè intermedijs verſantur. Id enim ſemper quoad fieri potuit ſecuti ſumus, niſi cum in authographo obſervatio deeſſet nubilo cælo & invito ſole, aut cum ob Principis abſentiam obſervatum non eſſet. Tanti has ipſas Vir nobilis Tycho Brahe, diligentiſſimns cœli & ſiderum ſcrutator fecit, ut ad illam quam moliebatur in ſolis epilogiſmo inſtaurationem, quamque in ſuis progyninaſmatis publicavit, ab his quoque ſuffragia colligere, & ſuis inventis fidem adſtruere non dubitaverit. Illic enim uſurpat Solis obſervationem Haſſiacam ad diem 7. Martij anni 1572, & ad 4. Martij Anni 1573. Quod jam editis obſeruationibus demum animadverti. Cæterum hoc te ſcire quoque tua intereſt omnes iſtas obſervationes ab anno 1561. ad annum 1582 incluſive haud alias eſſe, quam ipſum organum commonſtrarit,

Digitized by Google

ſtrarit, nullo aut parallaxis aut refractionum lenocinio interpolatas, quò ad ipſam veritatem planior eſſet via. refractionum enim leges uti minus conſtantes, & pro locorum ſitu variæ ſunt & diſcrepantes: ita neq; in eodem horizonte ſemper iiſdem finibus continentur. Nam & ipſe Tycho teſtatur ſolis refractionem die ſolſtitiali in altitudine 3 graduum Vranoburbi in Dania à ſe obſervatam duodecim tantum ſcrupulorum, quam tamen in laterculo refractorio ſtatuit ſcrupulorum 17. idem ad diem 2. Februarij 1600. in Arce Benatica in Bohemia ejus diei refractionem ſole meridiano ad 23. grad. 5½. min. ſecundum obſervationem elevato, ejus refractionē ſcrupulis duobus majorem ſtatuit quam in Dania. Rothmannus Caſſellis non nihil minorem oſtendit quam Vranoburgi. quinetiam ſub eadem altitudine pro anni tempeſtate variā eſſe jam olim Regiomontanus monuit, cum in æquinoctiorum obſervationibus autumnales vernis præferat, quod tunc aër ſit purior; Atque ideo non timere te moveat Zodiaci obliquitas maxima ad annum 1566. annotata 23 grad. 30. ſcr. quæ Tychoni ſeſquiſcrupulo ſit major. Ego verò majorem diſcrepantiam inter lectum illud par non interveniſſe magis miror. Planum enim eſt eo loco Principem Illuſtriſſimum ex maxima & minima ſolis altitudine (quemadmodum olim Eratoſthenes & Ptolomeus) ejus declinationem derivaviſſe. Cum enim altitudo ſolis ipſo ſolſtitij díe Anno 1564. eſſet notata 62. gra 12. ſcr. inde anno ſequenti 1565 ejuſdem altitudo brumalis 15 gr. 12 ſcr. nulla omnino aut refractionis aut parallaxis habita ratione, facilè fuit inde colligere intervallum inter tropicos interjectum eſſe 47. graduum exactè, cujus dimidium ſit maxima ſolis declinatio

clinatio 23 grad. 30 ſcr. Eundem errorem antea erraverunt Peurbachus, Regiomontanus, Bernardus Walterus & Copernicus, quemadmodum ex illorum publicatis obſervationibus, quas in poſteritatis gratiam his quoque ſubjunximus, manifeſtum eſt. Ergo ſecundum iſtas leges æquinoctialis altitudo dabitur 38. gr. 42. Et inde poli Caſſellani altitudo derivata fuerit 51. grad. 18 ſcr. Quod ſi Tychonicas refractionis & parallaxeos leges ſequi libeat pro altitudine brumali 15. gr. 12 ſcr. daretur ſolis altitudo æquata ſive emendata 15 gr. 7 ſcr. 36 ſec. & ſolſtitialis 62 grad. 10 ſcr. 48 ſec. ex iſtarum differentia elicita maxima declinatio daretur 23. grad. 31 ſcr. 36 ſec. quam Tycho ſtatuit 23 gra. 31 ſcr. 30 ſec. ut nec ovum ovo, neque lac lacti ſimilius eſſe potuerit. Atque inde quoque emendata æquinoctialis altitudo fuerit Caſſellis 38 gra. 39 ſcr. 12 ſec. tribus propemodũ ſcrupulis minor, & poli altitudo 51 gr. 20 ſcr. 48 ſec. Atqui eadem tamen é ſtellis circumpolaribus paulo etiam minor deprehenditur. Nam Chriſtophorus Rothmannus ad Tychonem ſub æquinoctium vernum anni 1586. ſcribit, è ſtellis circumpolaribus, quæ nunquam horizontem ſubeunt, πόλȣ ἔξαρμα Caſſellis à ſe inventum 51. gr. 20 ſcr. quas obſervationes vocat diligentiſſimas. Primum è ſtella polari cujus ſumma culminantis altitudo fuerit 54 gr. 16 ſcr. ima 48 grad. 24 ſcr. media itaque poli altitudo erit 51 grad. 20 ſcr. Adjicit alias præterea tres. Pectus Caſſiopeæ in altitudine ſumma 87 grad. 3 ima 15 grad. 37 ſcr. ſtellam in adſcenſu cathedræ Caſſiopeæ, cujus culminantis altitudo ſumma 84 grad. 26½ ſcr. ima 19 grad. 13½ ſcr. quæ ambæ enndem numerum condicunt. quarta non nihil evariat. Ad genua Caſſiopeæ poſita,

Digitized by Google

ſita, cujus altitudo ſummi 79. grad. 44½ ſcr. ima 22 grad. 55 ſcr. unde poli inclinatio datur 51. grad. 19¼. Atqui Iuſtus Byrgius omnium inſtrumentorum iſtic auctor & faber, qui tum ſibi ipſi, tũ viris principibus varia automata dædala manu artificioſiſſimè & ingenioſiſſimè effinxit, atque eam ob cauſam à Rudolpho Imperatore expetitus, repetitis aliquoties obſervationibus & ſumma cum ſollicitudine & cura notatis, majoribus organis eandem deprehendit 51 grad. 19 ſcr. 20 ſec. Quam antea tanquam correctam ex obſervatis deduximus 51 grad. 20 ſcr. 48 ſec. Sed error ſubeſt in maximæ declinationis obſervatione, quam duntaxat 62. grad. 11 ſcr. poſteà deprehenderunt: & in iſtis omnibus propemodum unius ſcrupuli exceſſu peccatum, Rothmannus Tychonem monuit ob latens perpendiculi vitium, id enim per intervalla tantum (in iſtis quadrantibus ſuper horizonte in gradus azimutales tributo tãquam baſi inſiſtentibus) explorabatur. quin etiam obſervationes annorum 1567, 1570, 1579. idem arguunt etſi in reliquis omnibus ſolſtitialis altitudo 62 grad. 12. ſcr. inveniatur. Quod tamen nihilominus declinationem maximã Tychonianæ affinem inde deprompſerimus, refractionum diverſitas in cauſa fuit, quæ non ſit eadem Caſſellis Rothmanno, & in Dania Tychoni. Attamen ex benè accurata ſolis altitudine ſolſtitiali 62. gr. 11 ſcr & vera poli altitudine 51 grad. 19 ſcr. 20 ſec. unde æquinoctialis altitudo datur 38 grad. 40 ſcr. 40 ſec. dabitur quoq; ipſiſſima ſolis declinatio. Nam parallaxis 1 ſcr. 22 ſec. ad altitudinem 62 gr. 11 ſcr. addita dabit altitudinem emendatam 62 gr. 12 ſcr. 22 ſec. unde deducta æquinoctialis altitudo 38 gr. 40 ſcr. 40 ſec. relinquet declinationem maximam 23 grad.

31 ſcr.

Digitized by Google

31 ſcr. 42 ſec. quæ à Tychonicis diſtant 12 ſec. differentia plane negligenda. cum omnino mihi perſuaſum ſit nullis organis (ne ijs quidem in quibus ſingulorum ſcrupulorũ partes decimæ commodè diſcerni poſſint) Soli s altitudinem emendatam ſolſtitio aut alio quovis die in his oris ad ſcrupuli ſemiſſem definiri poſſe. Vt ſatis omnino id eſſe exiſtimem modo in integris ſcrupulis ſubſiſtamus. Quod ultra petimus, hactenus omnem diligentiam & ſedulitatem curioſitate nimia fruſtra fatigamus. Non quod deſperem organis ijſdem nos iſtæc aſſequi poſſe, ſed quod emendationem & æquationem obſervatæ altitudinis è fundamento ad tantam accurationem haud ſatis idoneo derivemus. Quamdu enim Parallaxis ſolaris ratio non erit ad amuſſim cognita, tantiſper quoque iſtam per uſitatas parallaxes æquationem vacillare nemo ſanus unquam dubitabit. Parallaxis autem maximę modulum in ſole vel ad unum ſcrupulum adhuc in incerto fluctuare, omnibus qui hęc ſacra penitius introſpexere haud ignotum eſſe poteſt. Quamobrem hic in emendanda altitudine ſcrupuli ſemiſſe aut beſſe, alibi plus alibi minus peccari, ex ijs quæ diximus eſt manifeſtum. Atque ideo ut nihil hac in parte peccetur, ab illis maxima ſolis declinatio eſſet obſervanda, quorum verticibus die ſolſtitiali fit perpendicularis, qui ſub tropicis ætatem agunt: tum enim illis ſol eſt ἀπαράλλακτος. Etſi gradum unum ultra citrave conſiſtas tantilla parallaxis quæ vix paucula ſecunda attingit, ut ſenſum effugit, ita huic inſtituto nihil officit. Poli inclinatio è ſtella polari tuto illic invenitur, cum enim ea adhuc 20 gradibus ſupra horizontem extet nulla omnino refractione afficitur. Atque inde jam reliqua abſque errore

m deri-

derivari poterunt, quemadmodum ſupra à nobis factitatum. Vtraque obſervatio Haſſiaca & Danica eandem nobis declinationis quantitatem hoc ſeculo quam accuratiſſimè addicunt, vel ad ſcrupulorum ſemiſſes. Atqui Ægyptius ille Atlas, qui tot ſeculis mundū nutantem ſuis humeris ſuſtinuit, cum de ſuo οἰκόθεν iſta profert, ſatis habet intervallum declinationis intra quinque ſcrupula prima cogere. Ita enim ille ſuo quadrante, quem vel ligneum vel ſaxeum in meridiano conſtituit, ait ſe pluribus obſervationibus, ſole ad tropicum æſtivum vel hibernū devoluto, intervallum quà ſol utrimq; longiſſimè ab æquinoctiali digreditur, inveniſſe majus 47. grad. & 40. ſcrup. minus vero 47. grad. 45. ſcrup. πάντοτε γινομένου μζ̄ καὶ μείζονος μὲν διμοίρου τμήματος, ἐλάσσονος δ' ἢ ἡμίσεος τετάρτου. Quamobrem hujus intervalli dimidium erit maxima declinatio 23. grad. 50. ſcrup. minor vera, & 23. grad. $52\frac{1}{2}$. ſcrup. major vera. Vt Ptolomæus è ſuis obſervationibus maximam λόξωσιν obliquitatem zodiaci intra $2\frac{1}{2}$. ſcrupula tantum concludat: neque à ſe quidquam accuratum promat, quod profecto induſtria tanti viri fuerit indignum Credo ipſum Eratoſtheni non auſum refragari, aut ejus obſervata in dubium vocare cui Hipparchus ſubſcribit, qui vix dimidio ſeculo poſt Eratoſthenem floruit. Eratoſthenes enim, docente Suida, natus Olympiade 126. à Ptolomæo tertio Athenis Alexandriam evocatus ad Ptolomæum quintum vitam ibidem produxit, & octogenarius demum è vivis exceſſit: hic cum Regiæ Bibliothecæ eſſet præfectus urbem ipſam regulis & armillis inſtruxit, æncarum enim & quidem maximarum armillarum in quadrata porticu poſitarum meminit Hipparchus, Ptolomæus

mæus autem quoque in palæſtra. Quamobrem cum his recentibus & primum conſtructis Eratoſthenes uſus rationem totius meridiani ad diſtantiam tropicorum deprehendiſſet, quemadmodum 83 ad 11. unde facta ad gradus & ſcrupula reductione ea datur 47. grad. 22 ſcrup. 40. ſec. Et eandem Hipparchus, nunquam abſque novo laudis titulo Ptolomæo dicendus, approbaviſſet; Ptolomæus potius de ſuis obſervationibus maluit dubitare, quam iſtorum diligentiam, quæ ipſi erat perſpectiſſima, in dubium vocare: vel quod inſanum crederet Zodiaci obliquitatem variari; vel quia ſua organa illorũ armillis longe crederet ὁλοχερέστερα. Ego ſane jam ad ipſam Ptolomæi ætatẽ ab Eratoſthene uſque eam λόξωσιν decreviſſe crediderim, cum non minus 300 annis inter ipſum & Eratoſthenum interceſſerint. Verum enimvero ſi Eratoſthenis λόξωσιν ad incudem revocemus, ea utique tanta neutiquam deprehenditur quantam ipſe ſtatuit: nam omnino nulla ab ipſis hic habita eſt parallaxeos ratio, quod omnino factum oportuit, ſi ad ſcrupulorum trientes uſque iſta perſequantur. Sit enim poli Alexandrini altitudo 31. grad. 0. ſcrup. quantam Ptolomæus eam ſtatuit, itaque ſolis altitudo brumalis erit 35. grad. 9. ſcr. 40. ſecund. & ideo per parallaxin emendata 35. grad. 12 ſcrup. 10. ſecund. refractionis in tanta altitudine & regione pluviarum experte nullam habeo rationem, ob aërẽ longẽ quam hic defæcatiorem. Solis altitudo ſolſtitialis dabitur ibidem 82 gr. 50 ſc. 20 ſec. cujus parallaxis (Tychonicis utor) 21 ſcr. ſec. itaque altitudo ſolis æquata 82. gra. 50 ſcr. 41. ſecund. harum igitur differentia erit 47. grad. 38. ſcrup. 31 ſec. unde maxima Zodiaci obliquitas etiam

Digitized by Google

Eratoſthenis ætate daretur tantum 23 grad. 49 ſcrup. 11. ſecund. propemodum integro ſcripulo minor. ſed, ut dixi, ſecundum parallexes Tychonicas. Quod ſi ſol terris ſit vicinor etiam plus ea diſſidebunt. Vnde iſtud quoq; notandum omnes à vetuſtioribus declinationes juſtum excedere. Quod planum eſt iſta, qua commonſtravi via hoc ipſum tentantibus. exemplum in Albategino alterum eſto, qui ſub inclinatione poli 36. grad. 22. ſcrup. Solis altitudinem ſolſtitialem obſervavit 77. grad. 13. ſcrup. brumalem autem 30. grad. 3. ſcrup. quamobrem illa per parallaxin emeddata fuerit 77. grad. 13 ſcrup. 40 ſecund. hæc verò 30. grad. 5. ſcrup. 40 ſecund. atque ideo utriuſq; obliquitatis diſtantia 47. grad. 8. ſcrup. & maxima, declinatio 23. grad. 34. ſcrup. Si vero in minima altitudine refractio quoque locum habeat, quemadmodum Tycho eam definit. ſecundum iſtam formulam eſſet Zodiaci obliquitas accurata iſta ætate 23. grad. 34. ſcrup. 25. ſecund. Et cum poſtmodum Arzakel, Hiſpanus, Almeon, Prophatius Iudæus ſub eodem ferè climate per maximam & minimam altitudinem eandem obſervaverint, ſequitur ſecundum hanc parallacticam æquationem ipſorum ætate Zodiaci obliquitatem aliam fuiſſe.

Digitized by Google

Zodiaci obliquitas maxima quanta ea varijs temporum epochis eſt obſervata.

Eratoſthenes 450. annis feré ante Ptolomæum eam invenit.	23. grad. 51. ſcr. 20 ſec.
Ptolomæus anno 139. à nato Chriſto.	*Lubrica.*
Albategnius poſt Ptolomæum annis 751.	23. grad. 35. ſcr.
Arzakel Hiſpanus poſt Albategnium annis ferè 193.	23. grad. 34. ſcr.
Almeon Almanoris poſt Arzakelem annis fere 70.	23. grad. 33 ſcr. 30. ſec.
Prophatius Iudęus poſt Almeonem 160 annis.	23. grad. 32. ſcr.
Peurbachius circa annũ Domini 1460.	23. grad. 28. ſcr.
Dominicus Maria præceptor Copernici Bononiæ ann. 1461.	23. grad. 29. ſcr.
Bernardus Walterus Noribergæ 1501. & antecedentibus.	23. grad. 28. ſcr.
Ioannes Wernerus Noribergæ anno 1514.	23. grad. 28. ſcr. 30. ſec.
Nicolaus Copernicus Fruēburgi in Boruſſia ann. 1525.	23. grad. 28. ſcr. 40. ſec.

Digitized by Google

Eadem declinationis emendatæ.

Eratóſthenes emendatus dabit maximam ſolis declinationem.	23.gr.49.ſcrup. 11. ſec.
Ptolomæus.	Ambiguam.
Albategnius	23.grad. 34. ſcr.
Arzakel in Hiſpania. ſi altitudinem poli 40. grad. ſtatuas.	23. gr.33. ſcr. 5. ſec.
Almeon Almanoris, ſi eandem latitudinem aſſumas.	23. grad.32.ſcr.37.ſec.
Aut ſi refractionis quoque rationem habeas	23. grad.33. ſcr.50 .ſec.
Sed quia omnia hic minus certa manum tollam de tabula. Recentiorum obſervationes omnino longe infra verum ſubſiſtere, ſatis evidenter Tycho demonſtravit, neq; unquam maximam declinationem fuiſſe minorem.	23. grad.31. ſcr.

Fruſtra igitur declinationibus extremos evagationis limites figimus, & inde ejus theoricen effingimus; cum incrementum hactenus perceperit nemo. Non fuiſſem hæc adeo ſcrupuloſe proſecutus, niſi ipſi ſummi artifices vel ad ſcrupulorum ſemiſſes & quadrantes iſta perveſtigari & comprehendi potuiſſe credidiſſent. Cum ad eam rem illa, quam inſtiterunt via, perveniri nunquam poſſit. Verum hæc de declinationis ratione nunc dicta ſufficiant. ad obſervatio-

ſervationes noſtras me iterum confero, quibus ſolis declinationem & locum adſcripſimus: Sed declinationem ex altitudine æquatoris 38.grad.42.ſcrup. derivatam memineris: cum eam 38.grad.40.ſcrup. 40.ſecund. aſſumpſiſſe oportuerit. Deinde locum ſolis ex maxima declinatione 23.gr.30.ſcrup. inveſtigatum: cum ea ſit 23.gr.31½.ſcrup. Eſto exempli loco nobis dies 24.Auguſti Anni 1568.quo ſolis altitudo meridiana fuit obſervata 46.grad.10.ſcrup. Hinc deducta æquinoctialis altitudine 38.grad.40.ſcrup. 40.ſecund. erit reliqua declinatio ſolis iſto die 7.grad. 29. ſcr. 20.ſecund. Iam data iſta declinatione, & ſimul maxima ſolis declinatione, dabitur quoque ejus in Ecliptica locus. *Nam ſinus totus eſt ad ſinum maximæ declinationis, ut ſecans complementi declinationis datæ, ad ſecantem complementi diſtantiæ à nodis*; id enim è ſphæricorum triangulorum doctrina planum eſt. Termini proportionis hic erunt 1000000; ſinus maximæ declinationis 399149. ſecans complementi datæ declinationis 7.grad. 29.ſcrup. 20 ſec. 7672599. inde datur quartus 3062510 ſecans complementi diſtantiæ à nodis. Huic cedit peripheria 70.gr. 57.ſcrup. 30 ſec. quia ſol hic ſolſtitium eſt prætergreſſus addatur ad 90 ſumma erit 160 gr.57.ſcrup. 30.ſecund. ab Ariete, qui eſt 10.grad. 57.ſcrup. 30.ſecund. virginis. Vbi tamen locus citatus habet 11.grad. 0.minut. virginis, ut error ſit duorum ſcrupulorum & ſemis. Verum ſi ipſam altitudinem primum adhibita parallaxi corrigas dabitur declinatio 7.grad. 31.ſcrup. 20.ſecund. & inde locus ſolis in 10.grad.51.ſcrup. 15.ſecund. virginis. Qui numerus illinc diſtat 8.ſcrupulis. 15.ſecund. Sed perpendiculi quoque latens vitium à Rothmanno

ſupra

ſupra indicatum, hic non nihil officit. Quamobrem hi numeri circumſpectè tibi erunt tractandi.

Cæterum cùm omnis ſolaris curriculi epilogiſimus ab apogæi loco dependeat; unde dato medio motu ἡ παρὰ τὴν ἀνωμαλίαν διαφορὰ differentia æquationis, atq; inde locus ſolis à nobis viſus ervatur: nunc quoq; in gratiā philomathῶn aliquot accuratiſſimas obſervationes priores in Haſſia à Iuſto Byrgio, poſteriores in Bohemia ab ipſo Tychone inſtitutas ſubjiciam, ut inde ex utriuſque conſenſu etiam olim de diligentia & veritate conſtet. Videmus enim & miramur tantum ἀτόπημα inter Albategnium & Arzaëlem incidiſſe, ut ſolis apogæum intra duo ſecula amplius quatuor gradibus repedare oportuerit, quod omnino τηρήσεων fallaciæ adſcribendū exiſtimo. Sed rem ab ipſa origine repetam. Ad inveſtigationem apogæi eccentrici ſolaris, quo in loco ſol à terris longiſſimè ſe ſubducit, Hipparchus, atque eum quoque ſecutus Ptolomæus, tres ſolis epochas delegerunt, è quibus per angulos motus apparentis obſervatos, & per peripherias mediorū motuum ex intervallo temporum derivatas, locum apogæi & eccentricitatem eruerent. Hanc ad rem ipſi uſurpaverunt ſolis ingreſſum in primum gradum Arietis, libræ & cancri; nam iſtic calculus minus habet difficultatis. Omnino igitur opus eſt momenta temporium accuratè notata & cognita haberi, quibus ſol tres iſtas epochas aſſequatur. Sed quemadmodum hęc deprehenderint ab ipſis cognoſcere eſt operæ pretium. In æquinoctijs quidem expeditior eſt via. Hipparchus æquinoctium obſervavit ænea armilla æquatoria, διὰ χαλκοῦ κρίκου ὃς δοκεῖ διασημαίνειν τὴν ἰσημερινὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ ἂν ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους ἄρχεται τὴν κοίλην ἐπι-

φάνειαν

φαῦσιν φωτίζεσθαι, ſimulatque ſol parte adverſa cœperit illuſtrare ſuperficiem ejus concavam. Cum enim à ſemicirculo auſtrino in boreum tranſit, tum à ſuperiore limbi parte in armillæ concavum radios jacit: cum rurſum ad libram deſcendit, tum ab inferiore limbi parte oppoſitam armillę concavitatem incipit illuſtrare. Quod ſi igitur ipſum primum illuminationis momentum Hipparchus pro æquinoctio arripiat, integro gradus quadrante æquinoctia prævortit. Hoc dico. Solem ſimulatque oppoſitam armillæ partem illuſtrare occœperit integris quindecim ſcrupulis ſui corporis centro adhuc ab ęquinoctiali diſtare. cum radij luminoſi undique ab ejus ſuperficiæ profluant. Eam ob rem ipſum ſolem paulo amplius 37 ſcrupulis in ſuo circulo ab æquinoctiorum nodis diſiungit, cui in motu cedunt horæ quindecim. Tanto igitur ſpatio æquinoctia ipſas obſervationes ſequerentur. Quamvis hæc res temporis intervallum inter æquinoctia, non mutet, aut anni vertentis magnitudinem aliam à vera exhibeat, cum par anticipatio utrobique ſemper incidat. Videtur tamen id Hipparchus in obſervationibus æquinoctialibus diligenter caviſſe, ut illud demum tempus notaret, quo concavitas oppoſita ſupra & infra parem lucis menſuram admitteret. Nam de obſervationibus vernis ita loquitur, καὶ ὁ κρίκος δὲ ὁ ἐν Αλεξανδρείᾳ ἴσον ἐξ ἑκατέρου μέρους παρηυγάσθη. Et tamen tanta annuæ quantitatis ab eo natatæ anomalia ipſum non temere ſuſpenſum tenet. Etenim cum armillæ æquinoctialis illuminationem circa ortum & occaſum ſolis obſervat, refractio illum utique tunc eſt fruſtrata. Inde voces illæ Ptolomæo invito, credo, expreſſæ ἐνίοτε καὶ δὶς ἐν ταῖς αὐταῖς ἰσημερίαις μεταφωτίζεσθαι

τὰς κοίλας αὐτῶν ἐπιφανείας, aliquando circa idem æquinoctium convacas armillarũ ſuperficies illuſtratas, quod ut concedam ἐκ τῆς διαστροφῆς ob armillam intortam eveniſſe, cum ætate & pondere fatiſceret: id tamen contendam vel à refractione quoque exiſtere potuiſſe. Vt mane circa horizontem ſol viſus ſublimior, inde ſuperatis refractionibus in locum verum reverſus, poſtea in nodum ęquinoctialem demum ingreſſus armillas legittimo tempore illuſtraret. Certè pertinacem hanc refractionem eſſe in ſitu etiam ſolis ſublimiore in noſtro climate Peurbachius & Regiomontanus in ſua epitome nos monuerunt. Quique ideo malint æquinoctium antumnale quam vernũ in noſtro climate obſervari. Tale tamen, inquiunt, obſervationi autumnali magis convenit: quia tunc aër eſt purior. Longè itaque certior & minus fallax eſt modus ille, quem Regiomontanus docuit & poſteri ſecuti ſunt: ut è differentia altitudinis pridie & poſtridie æquinoctij verum temporis momentum inveniatur. Etſi duorum aut trium antecedentium & conſequentium dierum eadem ſit ratio. Si locus ſolis ex declinatione, motus ex temporis proportione concludatur. Exemplum anno 1571 poſitum hic ad numeros revocabo. Martij die 9 altitudo ſolis meridiana fuit 37 grad. 55 ſcr. Et die 13 altitudo 39 gr. 30 ſcrup. altitudo prior per refractionem & parallaxin emendata eſſet 37. grad. 57. ſcrup. unde ſolis locus datur. Nam differentia inter hunc numerum & æquinoctialis altitudinem veram eo loco, eſt declinatio 0 grad. 43. ſcrup. 40. ſecund. notia, & ideo ſol eo tempore obtinuit 28. grad. 10. ſcrup. 35. ſecund. ♍. Hinc ſecunda altitudo per refractionem & parallaxin emendata erit 39. grad. 32. ſcrup.

ideo

ideo ſolis declinatio borea o. grad. 51. ſcr. 20. ſecund. unde locus ſolis verus dabitur 2 grad. 8 ſcrup. 38 ſecund. ♈ Sol itaque quatriduo à 9 ad 13. Martij confecit 3. grad. 58. ſcrup. 3. ſecund. inde proportio. Sol 3 grad. 58. ſcrup. peragrat diebus 4. ergo 1 grad. 49. ſcr. 25. ſecund. conficiet 1 die 20 horis 8 ſcrupulis. Et ideo æquinoctium incidit in 10 Martij horis à meridie 20 ſcrup. 8. ſi in iſto tot dierum intervallo formulam Regiomontani ſecutus eſſem, daretur tempus 10 Mart. 20. hor. 4½. ſcrup. ut differentia ſit 3½ ſcrupulorum horariorum. Quamobrem cum majoribus organis vel ad ſcrupuli unius quadrantem ſolis altitudo obſervari poſſit, ſequitur vel intra horæ quadrantem ſolis in æquinoctiorum nodos ingreſſum dari. Cum illic Sol ſingulis horis per ſingula ſcrupula declinationem evariet.

At verò ſolſtitiorum ratio longe eſt intricatior. quod autē Laërtius de Anaximandro prodidit illum primum gnomone in ſciotheris defixo æquinoctia & ſolſtitia deſignaviſſe, alienum eſt ab iſta, quam hic deſideramus, ἀκριβεία. Cæterum quanta hic incertitudo, quamque lubrica ſit obſervationum via, ob tantillam tot dierum declinationem, quis non videt: cum æquinoctij verum tempus intra horæ quadrantem definiviſſe Herculeum plane ſit facinus. Meton quidem & Euctemon hic à Ptolomæo notantur, tanquam nimis ſecure & minus accurate iſta ſacra tractaviſſent. Quin adeò Hipparchus ipſe, niſi Archimedem in hujus rei ſocietatem advocaviſſet, ipſi ſibi videtur diffidere. Ait enim, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν τροπῶν, οὐκ ἀπελπίζω, καὶ ἡμᾶς, καὶ τὸν Ἀρχιμήδη, καὶ ἐν τῇ τηρήσει, καὶ ἐν τῷ συλλογισμῷ, διαμαρτάνειν καὶ ἕως τετάρτου μέρους ἡμέρας. De ſolis ad puncta

 tropi-

tropica puncta acceſſu, ſe non deſperare aut Archimedē, aut ſe quoq;,tum obſervationibus, tum epilogiſmo ne ad quadrantem unius diei à vero diſſidere. Sperat igitur duntaxat à ſe non erratum ſex integris horis. Sed quod ſi ſpes ea fallat? apodicticum hic nihil eſt, neque modum promit: quod ſi armillis aut maximo quadrante ſolis declinationem ſcrutatus ſit, omnino, vt dixi, fruſtra eſt. ea enim loca nulla obſervatione penitus, ac citra erroris ſuſpicionem deprehendi poſſe, veriſſime alicubi monet Eraſmus Rheinoldus. Ego non ad quadrantem, ſed ad dimidium diem ab ipſis erratum credam. Cedo qui refellat. Ipſe nobis quadrantem largitur. Vtique calculo imperveſtigabilia ſunt iſta, niſi antea locus apogæi ſit definitus. Vnus Tycho nobis hic videtur ſilentium indicere, qui etiam interdiu ſtellas cum ſole docuit comparare. Si enim loca lucidiorum Planetarum Iovis & Veneris per fixas ante ſubducas & conſtituas, atque inde ſolis meridiani adſcenſionem rectam deducas: nam ea in meridiano à parallaxi non afficitur, ſole licet depreſſiore. Hinc porrò haud erit operoſum ſolis verum in Zodiaco locum definire. Atque inde ex motu diurno Solis in tropica puncta ingreſſum depromere. Sed opus plenum ſollicitudinis eſt & multiplex. Nam & ſtellarum loca ad amuſſim reſtituta, & planetarum loca accuratè notatā, & rurſum ſolis cum ipſis comparatio admodum requiritur ſcrupuloſa. Opus varium & organorum ſuppellectile ſumptuoſum; & vix ſcio an pro tanta ſedulitate atque diligentia adeò exiſtat accuratum, ut non 3. 4. aut 5. ſcrupulorum error poſſit intercedere; obſervationum enim quodammodo circulus hic eſt, nam in orbem opus redit, ut è ſole per planetas ſtellarum loca pri-

mum

mum definiantur; & inde rurſum è ſtellis fixis per planetas ſolis locus exquiratur. Verum ſunto hæc ex voto comparata: quid iſta ad Hipparchum, cui ſtellarum fixarum loca nequaquam tanta diligentia, quanta in hoc negotio requiritur ſint notata? Et ſi iſtam inſtitiſſet viam utique non taciturus; aut in tantam abſurditatem prolapſurus, ut vel integrum diei quadrantem in ambiguo relinquat. Cum hæc in quinque ſcrupulis ſolum integrum bihorium peccet. Sed neque Ptolomæum illo naturæ conſiliario diligentiorem exiſtimare debemus. quam ad rem multa nobis ſuppetunt argumenta. Et profectò cum Hipparchus 260 annis Ptolomæum anteceſſerit, tantò quoque propius ab armillarum abfuit natalibus, quæ florente Ptolomæo ſuo jam pondere nutabant. Hinc adeo planum fit in locis apogæi conſignandis quam lubrico in loco pedem ponant, qui ſolſtitiorum epocham huc advocant. Si enim iſta ad calculum revocare libeat, & vel unica hora ſolſtitium anticipare, tantillo errore ſolſtitium 51 ſcrupulis retrotraheretur: ſi duabus, 1 grad. 26 ſcrupul. ſi tribus, 2 grad. 42 ſcrupul. ſi ſex 5. grad. 15 ſcrupulis ſi denique 12 horis tum apogæum 9 grad. 56 ſcrupul. præcederet. Et quis quæſo eos tantum in ſolſtitij obſervatione nō hallucinatos ſponſorē dabit, cum ipſi de quadrante diei ambigant? Quamobrem ſi pro Ptolomaicis numeris, qui ab æquinoctio verno ad ſolſtitium putat 94½ dies, & inde ad autumnale æquinoctium 92½: aſſumam illic 95, hic 92 tantum dies, ego apogæum reducam in 25. grad. 34. ſcrupul. tauri. quod ille in 5. grad. 30. ſcrupul. Geminorum ſtatuit. Senſerunt hanc incertitudinem Alfonſini: ideo quod ſuæ

cauſæ inſerviret, apogæum aliquot gradibus in anteriora protruſerunt, cùm potius retrottahere debuiſſent: Verum eorum audaciam ſequens ætas facile refutavit. Ptolomeum excepit Albategnius Hipparchæam plane & Ptolemaïcam viam ingreſſus, & apogæum non defixum, quod Ptolomæus exiſtimabat, ſed mobile docuit, & inde à Ptolomæi ætate ad ſuam annis 751 profeciſſe 16. grad. 43 ſcrup. Verum, ut dixi, minus conſtans eſt hæc ratio, & in errorem proclivis. Vt neceſſitas Arzakeli Hiſpano impoſita ſit alia & tutiore via apogæi inveſtigationem tentandi. Is namque aſſumptis tribus epochis, in quibus ſol motu diurno notabilem declinationis differentiam induceret, unde ipſius verus locus in Ecliptica vel ad ſcrupulum cognoſci poſſet, locum apogæi non paulo conſtantius & accuratius definiviſſe videtur: ſecutus eam epilogiſmi formulam, quam in Lunaris apogæi inquiſitione Ptolomæus adhibuit. Etſi eam Geber homo μισάργυρος tanquam lubricam traducat, ob crebras multiplicationes, diviſiones, laterum quadratorũ inveſtigationes, reliquamq; numerationis varietatem, quæ hoc loco multiplex eſt & intricata. ego hominem ſecuri animi, eſſe jubeo, & facile cavero ne vel minimus error nobis obrepat, modo data ad amuſſim cum veritate conſentiant. Arzakel igitur hanc viam ſecutus apogæi locum in 17. grad. 50. ſcrup. Geminorum deprehendit, cum tamen ante annum centeſimum tertium & nonageſimum Albategnius eidem aſſignaviſſet 22. grad. 17. ſcrup. Gemin. Vt omnino intra duo ſecula 4. gra. 27. ſcrup. retroijſſe oportuerit. Ego quidem hic vitium Albategnij obſervationibus oblatum exiſtimo; idq; ob ea quæ ſupra in Ptolomaica formula à nobis ſunt notata.

tata. Certe tam præclara fuit Arzakelis induſtria, ut ſuo ſeculo hominibus obſervandi certitudine palmam præripuerit. Tam illuſtre teſtimonium ei perhibet doctiſſimus Aben Ezra in libro ſuo cui titulus initium ſapientiæ: locus extat in libris viri ſummi Ioſephi Scaligeri, quos de temporum emendatione inſcripſit. *Eſt etiam* (inquit) *quidam ex illis qui dixit diminutionem de quadrante, qui unicuique anno competit eſſe partem centeſimam ſextam unius diei,* (Albategnium intelligit Cap. 52.) *Quidam ex illis partem centeſimam decimam. Atqui conſtat juxta ſeculum noſtrum eſſe partem centeſimam triceſimam unam. Nitimur enim loco ſolis* (id eſt æquinoctio) *qui erat tempore Elzuphi: cui ſimilem artificem nullum audivimus in epilogiſmo aſtrorum. Et ipſe quidem ita docuit. Secutus eſt eum Abraham Elzarakeel* (puto quem vocant Arzakel) *cui nemo temporum ſuorum comparandus fuerit. Ipſe inveſtigavit locum ſolis* (æquinoctium) *in ſæculo ſuo: qui quidem conveniebat tempori Elzuphi.* Unde induſtriè & naviter omnia ab Arzakele curata liquet. Cum Aben Ezra, quemadmodum ipſe prodit, ante ann. 472 iſta ſcripſerit. qui ſunt anni poſt obſervationem Arzakelis duntaxat unum & ſeptuaginta. Vt tantò magis fidem diligentiſſimus autor mereatur, quanto ab ejus ætate propius abfuerit.

In apogæi motu illud præterea animadverſione dignũ, quanto id Cancri principio vicinius, tanto moram diuturniorem ſolem in ſemicirculo boreo, ab Ariete ad Libram procedendo, trahere: apogæo in ipſo ſolſtiali puncto verſante, longiſſimam. Si citra ſolſtitium conſiſtat, ſolem plus temporis ponere in quadrante primo ab Ariete ad Cancrum, quam inde ad libram. ſic Ptolomæus ab

Arie-

Ariete ad Cancrum ſolem 94½. dies commoratum obſervavit. Contrarium eveniet ſi apogæum ultra ſolſtitium verſus libram vergat. Ex obſervationibus Tychonicis brumalibus & æquinoctialibus anni 1586 conſtat iſto anno ſolem ab Ariete ad Cancrum poſuiſſe dies 93. horas 4 ſcrupula 24, à Cancro ad Libram 93 dies 14 horas ſcrupula 6. vt tempus moræ poſterioris quadrantis major ſit tempore prioris horis 9 ſcrupulis 18. ſed inter ipſos quadrantes minor intercedit differentia quanto apogæum Cancro erit propinquius. Si eadem ſemper eccentricitas & ſibi perpetuo ſit ęqualis, ſolis mora & temporis intervallum quod Ariete ad Libram ponit, majus jam quam ætate Ptolomæi eſſe debet, id tamen Tychoni 5½ horis eſt minus: quod evidentiſſimum eſt argumentum variatæ eccentricitatis. Et Albategnius id minus adhuc Tychone deprehendit, unde omnino minorem fuiſſe tunc eccentricitatem quam nunc ſit nemo ſanus dubitabit, cum eo ſeculo apogæum longius abfuerit à converſionis æſtivæ puncto. Et ne cui id dubium videatur, Arzakel licet in apogæi loco ab Albategino diſſideat, de eccentricitatis quantitate tamen idem ſtatuit. Verû ut id planius liqueat, temporum intervalla, eccentricitatis quantitatem, & apogæi locum, quemadmodum ab iſtis notata ſunt hic oculis ſubjeci.

Tempo-

Temporis intervallum, quo ſol quadrantes Eccliptic æ boreos peragrat.

		D.	H.		D.	hor.
ab ♈ ad ♋	Ptolomęo	94	12	à ♋ ad ♎	92	12
	Albategnio	93	14		93	0
	Tychoni	93	$4\frac{4}{10}$		93	$14\frac{1}{10}$

Itaque Ptolomæo ſemicirculus boreus conficitur 187 diebus, Albategnio 186 diebus 14 horis. Tychoni 186. diebus $18\frac{1}{2}$ horis.

Diſtantia centri eccentrici ſolis à centro mundi.

Quantarum diameter eccentrici 1000000 tantarũ eccentricitas ſolis	Ptolomæo	41378.
	Abategnio	34653.
	Arzakeli	34653.
	Tychoni	35842.
	at Copernico	32300.

Locus apogæi ſolis.

Ptolomæo in	5. grad.	30. ſcrup.	Gemin.
Albategnio in	22	17	♊
Arzakeli in	17	50	♊
Tychoni in	5	30	♋
At Copernico in	6	40	♋

Vt τηρήσεων fallaciæ nonnulla ſint imputanda, certe inter Tychonem & Copernicum error iſte ab hoc fonte

emanavit. Vt apogæi locus Coperniceus Tychonicum integro gradu antevortat, cum tamen Tychonis obſervatio Copernicеam ſequatur, ut veriſimile ſit Copernicum hic facile duobus gradibus hallucinatum. Cum Arzakel inter ſe & Albategnium tantam diſcrepantiam deprehendiſſet, & ſimul eccentricitatis decrementum obſervaviſſet, circellum effinxit in cujus ambitu centrum eccentrici ita verſaretur, ut id modo à terris propius, modo abeſſet longius, & ſimul ipſum apogæum repedare poſſet. Ingenioſum equidem inventum, etſi nimium levi de cauſa videatur introductũ. quis enim nobis hæc definire audeat, iſtorum motuum lege nondum deprehenſa? & cum incertum ſit an omnino apogæum unquam retrocedat. Difficilis quæſtio inter Arzakelem & Albategnium controvertitur, neque eſt qui eam litem dirimat; nam in tanta caligine, & tam alto ſcriptorum veterno nemo exſtat qui nobis facẽ ad veri inveſtigationem alluceat. Vnum mihi in mentẽ venit, nec, ut arbitror, omnino contemnendum. Cum Alphonſus, Caſtiliæ Rex verè magnanimus, tabulas fatiſcentes & peridorum numeros exorbitantes certis legibus coërcere, & planetis ſuos motus reſtituere in animum induxiſſet, nullis pepercit ſumptibus, ut undique viros doctos & in iſto pulvere ſubactos convocaret, qui ad tam nobile inſtitutum operas ſuas, tanquam ſymbolas conferrent. Non poſſum hic à me ipſo impetrare, vt credam adeo ab omnibus obſervationibus nudos & imparatos ad rem tam arduam iſtos ſe accinxiſſe, ut ne ſolis quidem motum, & ejus apogæi locum obſervare inſtituerint, nacti Principem profuſè liberalem. Nam cedo; quæ eos ratio impuliſſet apogæum Ptolomæi tot gradus promovendi, ut motum

cum apogæi cum affixarum motu pari velocitate cierent. hoc ſi tantum à Ptolomæi obſervationibus derivare ſatis crediſiſſent, additis circiter 15. gradibus rem factam habuiſſent, ut apogæum ſolis in æra Alphonſi anno 1252 ex hac formula obtinere debuerit quaſi 20 aut 21 gradum geminorum. Quod Arzakelis, obſervatis fuerit conſentaneum. Cum is ante 180 circiter annos ejus locum in 17. grad. 50. ſcrup. aſſignaviſſet. Verum longiſſime hinc abſunt, cum apogæum eo tempore ſtatuant in 28. grad. 40 ſcrup. Geminorum. Quod dum faciunt, totum ex Albategnio hauſiſſe videntur, qui ſtellas fixas 66 annis integro gradu in conſequentia ſignorum ſuo ęvo promoveri demonſtrat. Iſti apogæo eundem motum attribuunt; hinc igitur, ſi ſecundum iſtam analogiam apogæi motum concludas, & iſtum numerum ad locum ab Albategnio aſſignatum adjicias, plane aſſequeris eundem cum Alfonſinis limitem. Itaque ſecundum eaſdem leges apogæum Ptolomaicum interpolaverunt. Ita Arzakele inſuper habito, in Albategnij ſententiam toti conceſſerunt. Vix tamen mihi perſuadeo nullis obſervationibus vel ſuis, vel aliorum ſaltem edoctos (ut puta Almeonis, qui 70. annis poſt Arzakelem maximam ſolis declinationem obſervaviſſe perhibetur, vel alterius cujuſcunque) hæc ita definiviſſe. Et profecto, motus & temporis analogia à Tychone ad Albategnium, & inde ad Ptolomæum pro Albategnio pronųntiare videntur. Motus apogæi ab Albategnio ad Tychonem annis 708, profecit gradus $13\frac{1}{2}$. intervallum temporis à Ptolomæo ad Albategnium 740 anni, quibus ex poſita analogia cedunt 13 grad. 50 ſcrupula, quæ de apogæi

 loco,

loco, obſervante Albategnio in 22. grad. 17. ſcrupul. deducta, relinquunt 8. grad. 27. ſcrupul. locum apogæi ætate Ptolomæi; quem tamen ille aſſignat in 5. grad. 30. ſcrupul. ut diſcrepantia 3. grad. intercedat: eam vero omnem differentiam obſervationum incertitudini, inter Ptolomęum & Albategnium adſcribendam argumenta jam ante à nobis expoſita ſatis evidenter arguunt. Arzakel hinc longe abit diverſus, ut mihi planum videatur eum παρατηρῆσαι perperam obſervationes inſtituiſſe. Neque enim mirandum eſt, ubi ex parvis magna concluduntur facile errorem aliquem ſubrepere. Quod ſi iſtorum temporum, aut reliquorum inter nos & illos intermediorum obſervationes ſuppeterent, tum veritas in propatulo ante omnium oculos verſaretur, nunc tantum divinationi eſt locus. Et omnem poſteritatem hoc eodem errore involvi neceſſe eſt, donec ætas & dies poſt longas periodos hæc tandem detegant & evolvant. Nec inepte Regiomontanus ubi de fixarum motu agit. *Nam ſi majores* (inquit) *noſtri ſuis decepti ſunt inſtrumentis: & nos decipiemur neceſſario: nam noſtræ obſervationes, niſi cum antiquorum conferantur obſervationibus nihil unquam edocebunt. At ſi occultum illum motum ineſſe ſtellis exiſtimabimus, expediet oculum ad ſtellas fixas habere aſſiduum. Poſteriſque itidem ſcriptas obſervationes tranſmittere.* Eam itaque maximè ob cauſam ut poſteris olim ſcrupulum eximam de loco apogæi hoc ævo, neque quiſquam leviculam iſtam inter Copernicum & Tychonem diſcrepantiam, quæ è minus accuratis Copernici obſervationibus fluxit, pro vera arripiat, aliquot ſelectas & magna cum diligentia inſtitutas ſolis obſervationes

tiones hic exhibeo, unde apogæi locus haud admodum à Tychone diſſidens derivatur. Has igitur, ut cæteras, tuo uſui, lector benevole, dicatas, ita habeo, ut eorum manibus etiam te obſtrictum intelligas, quorum ſedulitate, induſtria, & impenſis iſtorum eſt tibi facta copia.

Obſervationes ſolares meridianæ à Iuſto Byrgio Caſſellis inſtitutæ, unde apogæi locus datur.

1. Anno 1588. ſtilo veteri, 19 Auguſti Sol obtinuit	5. grad.	9. ſcr.	♍
Eodem anno, 24. Septembr.	11.	12	♎
Eodem anno, 14. Februarij	5.	59	♓

A prima ad ſecundam obſervationem intercedunt dies 36. Sol in eccentrico medio motu confecit 35. gr. 29. ſcrup. A ſecunda ad tertiam interſunt dies 143. Sol in eccentrico promovit 140 gr. 57. ſcr.

Hinc concludit Byrgius apogæum anno dicto in 5. gr. 57 ſcrupul. 1 ſecund. Cancri. Et eccentricitatem 2. partium 3. ſcrup. 32 ſecund. quantarum ſemidiameter eccentrici 60.

2. Rurſum has ut diligentes commendabat: in quibus ut ante ex obſervata ſolis altitudine meridiana ejus in ecliptica locum derivavit.

Anno 1588. 23. Februarij Sol obtinebat	14. gr. 14. ſcr. o ſec. ♓

 Eodem

Eodem anno, 10 Aprilis	0. grad. 31. ſcrup. 3 ſec. ♉
Eodem anno 17. Septembr.	4. grad. 17. ſcrup. 30. ſec. ♎
A prima obſervatione ad ſecundam obſervationem verus ſolis motus eſt	46. grad. 17. ſcrup. 0. ſec.
medius autem eodē tempore motus	46. grad. 19. ſcr. 31. ſec.
A ſecunda ad tertiam ſolis motus verus datur	153. grad. 46. ſcr. 30. ſec.
& eodem tempore motus medius	157. grad. 42. ſcrup. 12. ſec.

Hinc Byrgius concluſit ſolis apogæum in 5. grad. 53. ſcr. 20. ſecund. Cancri. Et eccentricitatem partium 359153 quantarum ſemidiameter eccentrici 10000000.

3. In hoc tertio Byrgianum abacum, quemadmodum ex altitudine ſolis obſervata ejus declinationem inveſtigaverit, totum exhibeo.

	grā.	ſcrup.	ſec.
Anno 1589. 8. Februarij meridiana ſolis altitudo viſa.	27	6	45
Parallaxis è tabulis aſſumpta addenda.		2	39
Altitudo ſolis vera	27	9	24
Altitudo æquatoris Caſſellis.	38	41	0
Declinatio ſolis igitur	11	31	36
Vnde ſolis locus datur in ♒	29	56	52
Eodem Anno, 26. Martij ſolis altitudo viſa	34	49	40
Parallaxis addenda		2	6
Altitudo vera	44	51	46

Altitu-

	grad.	ſcrup.	ſec.
Altitudo æquatoris Caſſellis	38	41	0
Declinatio ſolis igitur	6	10	46
Vnde locus ſolis dabitur in ♈	15	39	3
Et rurſum eodem anno 13. Auguſti ſolis altitudo viſa	50	10	42
Parallaxis addenda		1	54
Altitudo ſolis vera	50	12	36
Altitudo æquatoris Caſſellis	38	41	0
Declinatio ſolis	11	31	36

Quæ omnino eſt æqualis declinationi primo obſervatę: ideoque calculus eandem diſtantiam ab æquinoctiorum nodis exhibebit, & hoc caſu ſolis locum illi ad diametrum oppoſitum, in ♌ 29. grad. 56.ſcrup. 52. ſecund.

Tempus autem à prima obſervatione ad ſecundam elapſum ſunt dies 46. ſolis motus medius interea 45. grad. 20 ſcrup. 23.ſec. & verus motus ex obſervatis 45. grad. 42. ſcrup. 11 ſecund. Hinc à ſecunda ad tertiam dies 140 ſolis motus medius 137 grad. 59.ſcr. 26.ſec. & verus motus 134. grad. 17. ſcr. 49 ſec. Atque ex his datis Byrgius concluſit apogæi locum in 5. grad. 56. ſcrup. 11. ſec. Cancri. Eccentricitatem partium 359095 quantarum ſemidiameter eccentrici 10000000.

4. Anno 1590. 3. Martij ipſo meridie ſol obtinebat	22	43	0 ♓
Eodem anno, 11. Aprilis	1	1	0 ♉
Eodem anno, 12. Septemb.	28	54	0 ♍

A prima obſervatione ad ſecundam intercedunt dies 39. ſolis motus medius 38. grad. 26. ſcrupul. 25. ſecund. verus 38. grad. 18. ſcrupul.

A ſecunda

A ſecunda ad tertiam fluxerunt dies 154, quo tempore ſolis motus medius fuit 151. graduum 47. ſcrupul. 22. ſecund. verus autem 147. gr. 53. ſcrup. His itaque datis concludit Byrgius ſolis apogæum in 5. grad. 54. ſcrup. 24. ſec. Cancri. eccentricitatem vero 359092, quantarum ſemidiameter eccentrici 10000000.

5. Anno 1591. 13 Ianuarij ipſo meridie obtinebat ſol	3 grad.	7. ſcr.	♒
Eodem anno, 22. Aprilis	11	26	♉
Eodem anno, 7. Auguſti	23	42	♌

A prima obſervatione ad ſecundam fluxerunt dies 99 ſolis motus medius eo tempore 97. gr. 34. ſcr. 44. ſec. verus 98. grad. 19. ſcrup. A ſecunda ad tertiam fluxerunt dies 107. interea temporis fuit ſolis motus medius 105 gr. 27. ſcrup. 51. ſecund. & verus 102 grad. 16. ſcr. Hinc apogæum ſolis dabitur in 5. grad. 59. ſcrup. 5. ſec. Cancri. eccentricitas 3589600. quantarum ſemidiameter eccentrici 10000000. Subjicio aliquot ſolis meridianas altitudines ex accuratiſſimis Byrgij obſervationibus ſelectas.

	Anno 1592.		
11. Decembris.	15 grad.	15 ſcr.	30 ſec.
	Anno 1593.		
2 Martij	35	27	30
5 Martij	36	39	30
6 Junij	62	8	0
14 Junij	62	10	45
15 Junij, ſinus complementi altitudinis 4675. qualium ſinus totus 10000. atque ſolis altitudo meridiana viſa.	62	7	40

quæ

		grad.	ſcr.	ſec.
	quæ per parallaxin correcta eſſet	62	9	2
6	Septemb. 7520, altitudo viſa	41	14	0
11	Septemb. 7733. altitudo viſa	39	20	50
12	Septemb. 7779, altitudo viſa	38	55	50
	Anno 1594.			
10	Iunij 4668½, altitudo viſa	62	10	22
11	Iunij 4668, altitudo viſa	62	10	12
12	Iunij 4670, altitudo viſa	62	9	20
	Anno 1596.			
30	Ianuarij	23	52	45
6	Februarij	26	12	30
7	Februarij	26	34	0
20	Martij	42	36	15
23	Martij	43	48	0
7	Maij	58	8	0

Sed illud notandum Byrgium loca ſolis ex altitudine obſervata ita derivaſſe, ut maximam obliquitatem aſſumpſerit duntaxat 23. grad. 31. ſcrup. præterea ſemper omnem refractionem neglexiſſe. ut non mirũ ſit inter ipſum & Tychonẽ unius gradus ſemiſſẽ intercedere in loco apogæi conſignãdo, quod ſi hęc ad accuratorẽ limam exigas, propius ab accurato Tychonis epilogiſmo aberis. Res omnino ſcrupuloſa eſt apogæi locum ad ſcrupulum definire. Ne quis exiſtimet omnino nihil eſſe ad gradus ſemiſſem ipſos conſentire. ſequuntur deinceps Tychonis obſervationes aliquot Bohemicæ.

Obſervationes Tychonis Bohemicæ ſolares in Arce Benatica cujus poli elevationem ſtatuit 50. grad. 18½ ſcrup.

Anno 1600. ſtilo Gregoriano.

	grad.	ſcrup.	ſec.
2 Ianuarij	16	45	30
19 Ianuarij	19	16	45
aliàs	19	18	30
3 Februarij	23	5	30
Parallaxis addenda		2	45
Refractio hic major eſt quam in Dania 2. ſcrup. ut fiant ſubtrahenda		5	0
Vt ſit ſolis altitudo vera	23	3	15
Altitudo æquatoris hic	39	41	30
declinatio ſolis	16	38	15
ut locus ſolis ſit in ♒	14	10	
noſter calculus dat ♒	14	8	
4 Februarij ſolis altitudo merid.	23	23	0
Parallaxis addit		2	45
refractio demit		5	0
itaque vera altitudo	23	20	45
declinatio ſolis	16	20	45
locus in ♒	15	10	
noſter calculus dat ♒	15	9	
21. Februarij ſolis altitudo merid.	29	1	30
refractio aufert.		1	35
Parallaxis addit		2	43

altitu-

	grad.	ſcrup.	ſec.
Altitudo vera	29	2	38
Et locus ſolis in ♓	2	20	5
9. Martij altitudo ſolis meridiana	35	28	10
12 Aprilis	48	35	20
23 Aprilis	52	26	50
26 Iunij	63	10	10
3 Iulij	62	41	50

Ex obſervationibus Tychonis Pragę habitis, ubi altitudo poli 50. grad. 4½. ſcrup.

Anno 1601.

	grad.	ſcrup.	ſec.
4 Martij	33	35	40
26 Iulij mediocriter ſerenum	59	23	40
30 non bene ſerenum	58	28	20
31 mediocriter ſerenum	58	12	40
1 Auguſti ſerenum	56	57	30
5 Serenum	56	55	0
6 Sereniſſimum	58	38	10
7	56	21	30
8	56	4	40
10	55	30	10
12	54	55	0
31	48	33	30
3 Septembris	47	27	30
6	46	22	0
8	45	35	0
21	40	35	0
10 Octobris	33	11	0
11	32	48	30

Digitized by Google

Habes itaque hic amice lector annorum decem ſolares obſervationes lectas, quas ſi ad priores unum & viginti annorum aggreges, erit ſumma annorum unus & triginta. Habes planetarum reliquorum non contemnendas obſervationes annorum novem, quas omnes tuo uſui evulgamus, tu iſtis, quod in ſummi Dei & Chriſti ejus gloriam cedat, utere fruere; ac tandem bene vale.

FINIS.

Digitized by Google

IOANNIS DE MONTEREGIO, & BERNARDI Walther i ejus diſcipuli ad Solem obſervationes.

Obſervationes Ioannes de Monteregio per regulas Ptolomæi facta ad Solem.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

	chor.diſt. à vertice.
Ann.Chriſt. 1462.Rom.	
3 Ianuarij altitudo ⊙ meridiana 26. 12. Locus ejus 22. 30.♑.Declinatio ejus meridiana 21.40. Fit igitur altitudo Æquinoctialis 47.52.Et altitudo poli Arctici 42.8.	
11 Ianua. Altitudo ⊙ meridiana 27.50.locus ejus 0. 41 ♒.declinatio meridionalis 20.6. Fit igitur altitudo Æquinoctial.47.56. & altitudo poli 42.4.	
An.Chri.1472. Nurnb.	
5 Martij, ut ſinus totus 100000.	86600
8	85300
20 Februar.	95625
21	85100
23	92900
26 Septemb.mediocris propter novum adventum ex Italia.	91300
27 mediocris	91920
Anno Chriſti 1473.	
10 Martij	84160
11	83600
30	71850
7 Iunij	45020
8	44970
6 April.ſed vẽti val.	67740
19 non omnin.exact.	60580
hoc declaratum ad vnguem reperi. Idem Tychoni Braheō accidit, vt refractiones luminum animadverteret priusquã vel hos Opticos, vel Waltheri inventa legiſſet, vt teſtatur libro 1. Progymnaſmatum fol. 91. Occaſiones, quibus has invenerit, vide eodem libro fol. 15. & eodem 91. Quare tantò plus fidei meretur uterque, quod ignari, & nullis occupati præjudicijs, hoc ita ſe habere deprehenderent. Hoc enim veritatis eſt, diverſis convenire vijs. Sequitur in Walthero, quibus occaſionibus ipſe in hujus rei notitiam venerit. *Sed ad fugiendum Lunæ diverſitatem aſpectus, etiam modum Ptolemæi capitulo ſecundo dictionis ſeptimæ examinavi:* id eſt, occaſio, quæ mihi refractiones oſtendit, hæc fuit. Eram in eo, ut explorarem inſtrumentis, quouſque in ecliptica poceſſiſſent ſtellæ fixæ mea ætate. Modus hoc explorandi facilimus hic eſt, ſi veriſſimus locus Lunæ à Sole, ſeu ab æquinoctio ex calculo ad quoduis momentum poſſit depromi: tunc inſpiciatur, eo momento, quibus cum fixis Luna congrediatur. Aut contra, ſi qua certa noctis hora Luna fixam aliquam tegat, computetur ex certiſſimo calculo verus Lunæ locus ab æquinoctio. Nam is erit & verus ſtellæ locus ab æquinoctio. Aut ſi calculo quis diffidat, is diligenter intueatur medium alicujus Eclipſis Lunaris, notétque diſtantias Lunæ à fixis vicinis. Sic enim habebit diſtantiã Solis ab illis fixis, & ex altitudine Solis meridiana & latitudine loci habebit & diſtantiã ſolis ab æquinoctio per declinationẽ ejus. Quare & fixarum illarum diſtantia ab æquinoctio dabitur.

His quidem modis facilè negocium expediretur, ſi vel extra, vel in Eclipſi, verus Lunæ locus haberi poſſet. Sed accidit præter cætera, ut quamvis certò ſciamus verum Lunæ locum, quem quis illam videret obtinere, ſi ex centro

terræ

proſpiceret; tamen parallaxis, cujus incredibilis eſt varietas, illam in alia atque alia loca reponat. Itaque longè aliter Luna diſtat à fixis, quàm ſi in vero ſuo loco cerneretur. Ne igitur parallaxis Lunæ mihi negocium faceſſeret, uſus ſum eo modo, quem Ptolemæus lib. 7. cap. 2. præiuit. Is quidē in Luna, ego verò in Venere ſum imitatus: cujus minor eſt parallaxis, minorque motus diurnus. *Et diſtantiam Solis & Veneris circa meridiem aut poſtea, inſtrumento armillarum* (cujus deſcriptionem vide in Mechanica Tychonis Brahe) *deprehendi* (quod rurſum Tycho Brahe Waltheri inſcius, ut vides in Progymnaſmatum tomo 1. fol. 152. diligentiſſimè & multoties imitatus eſt) *prius accepto loco Solis per regulas, aut armillas, aut per utrumque inſtrumentum.* Modū utrumque Regiomontanus deſcribit illo ipſo libello, ex quo hęc tranſcribuntur. Eſt autem ordo hic. Primùm ex obſervatione fixarum habetur altitudo poli & æquatoris. Deinde obſervatur altitudo Solis meridiana, quæ comparata ad altitudinem æquatoris, prodit declinationem. Et declinationi cuilibet certa diſtantia Solis à punctis cardinalibus, ſeu locus in Ecliptica reſpondet, præſuppoſitâ declinatione maximâ. *Cum verò in occaſum Solis loca amborum, videlicet Solis & Veneris, examinare viſus fueram, vertendo Eclipticā armillarum, & locum Solis in eadem* (vertendo illam Eclipticæ partem, in qua Sol hærere per meridianam obſervationem deprehendebatur) *verſus ipſum* Solē, non tamen præciſè collocato centro armillæ, loco Solis invento, & veri aſpectibilis Solis centro, in eadem recta, ſed voluendo illū locum Solis in armilla cis & ultra corpus Solis, euſque, *quoad* interioris Eclipticæ armillaris *ſuperficiei vtraq; pars,* uterque circuli illius terminus, quia circuli materiales obtinent latitudinem, *videlicet inferior & ſuperior,* vel Auſtra-

O lis

lis & Borealis, *à Sole* jam occidente *æqualiter illuminabantur;movendo etiam circulum latitudinis, quousq́; etiam ambæ partes ſuperficiei interioris ejusdē, videlicet dextra ac ſiniſtra,* ſeu orientalis & occidentalis, *æqualem à Sole illuminationem acceperant. Quare ſi radij ſolares irrefractè ad viſum,* ſeu inſtrumentum,*veniſſent circulus latitudinis ,* ſectione ſui & Eclipticę *locum ſolis,*qui prius in meridie inventus,& additione motus horarij debiti correctus erat,*utique oſtendiſſet. Sed differentiam notabilem reperi.* Alio loco Sol inveniebatur ex meridiana obſervatione, alio loco ex veſperina : *& hanc quidem* differentiam *differenter,* non ſemper eandem: *majorem quidem dum declinatio Solis modicum creverat aut decreverat, minorem verò, cum notabiliter mutabatur, vt in ſolſtitijs maximam, in æquinoctiis verò minimam:* non quod tanta fuerit in ipſis refractionibus varietas, ſed quia etſi declinatio Solis utrinque æqualiter adulteraretur : quia tamen ex declinatione habetur longitudo, & ex vitioſa declinatione vitioſa longitudo,plus igitur hęc in declinatione aberratio fallit, ubi uni gradui longitudinis unicum declinationis minutum reſpondet,quod fit verſus Solſtitia, quàm ubi uni gradui longitudinis minuta 24 declinationis reſpōdent, ut in æquinoctijs.

Cùm ergò in Occaſu Solis ambos circulos Eclipticam & latitudinis *à Sole, ut prædictum eſt, illuminatos vidi nequaquam Solis neq́; ex eo Veneris locum verum habui* Iam enim dictum, ſi hoc fieret, viſum eſſe differre,verū & hunc refractiorium. *Si autem circulo latitudinis ſuper loco Solis poſito,per obſervationem meridianam reperto, atq́; per additionem motus ejus intermedij reducto, in occaſu Solis eundem circulum verſus Solis exhibui,* hoc eſt,ſi quem locum Solis in meridie methodo alia & certa reperiebam,& additione portionis , quæ tem-

pori

pori à meridie ad occaſum competebat, correxeram, ſi ei in-
quam loco circulum latitudinis applicarem: & ſic affixos
invicem ad Solem occidentem devoluerem, *quoad ejus*, cir-
culi latitudinis *ſuperficies interior modo prædicto illuminaba-*
tur; neglecto, ut idē in Ecliptica fieret: *veritati propinquius*
acceſſi, in inveſtigatione loci longitudinis Solis. Nam la-
titudinis circulus, præſertim in æquinoctio verno Sole oc-
cidente, penè incidebat in verticalem: itaque refractio, quę
ſolet in verticali fieri; penè omnis concedebat in latitudi-
nem, parū vitiata longitudine. *Neq;* tamen *illa via ſuffi-*
ciebat, quòd non planè coinciderent circulus latitudinis
& verticalis ſeu refractorius *Ob quam rem ex foramine apud*
oculum, quod repreſentabat locum ſolis oppoſitum verum,
inventum per obſervationem meridianam, & reductum ad
horam obſervationis hujus veſpertinæ *pinnulæ appendi per-*
pendiculum, *ſpeciale ingenio*, quod perpendiculum repræ-
ſentabat verticalem circulum, *conſiderando*, *quod punctum*,
cujus forma refringitur, cujus vicem hoc loco gerit ſectio
circuli latitudinis cum Ecliptica, *centrum viſus*, à dicto
foramine repræſentatum, *punctus* in aëris ſuperficie, *à quo*
fit refractio, & perpendicularis à puncto refractionis, in una ſunt
ſuperficie, quam hic imaginamur planum circuli verticalis:
Et videbam, dum interſectio Eclipticæ ac circuli latitudinis
verum locum Solis repræſentans *ad contactum horizontis*
venerat, qui ſitus reſpondebat uero occaſui Solis, *quod Sol*
per foramen alterius pinnulæ verſus Solem, quo alias tantum
in ſtellis utebar, *filum perpendiculi adhuc alluminavit*. De-
di operam, vult dicere, ut Sol non circulum latitudinis
non Eclipticam, ſed filum perpendiculi ex foramine u-
nius pinnacidij ſuſpenſum per foramen oppoſiti è diame-
tro pinnacidij illuminaret æqualiter: *ita quod prænarrata*

Digitized by Google

in una erant ſuperficie, ſcilicet centrum Solis veri, id eſt, punctus cujus forma refrangitur, centrum viſus hoc loco foramen, vnde filum ſuſpenditur, ſeu potius locus fili inferior: quo à Sole colluſtratur, *punctum refractionis in aëre & perpendicularis: ſimiliter & locus Solis verus in Ecliptica* inſtrumenti, denique locus imaginis ſeu Sol viſibilis.

Nam quia foramina è diametro ſunt oppoſita, & filū ab altero foramine ſuſpenſum: planum ergò per filum, & foramina tranſiens, biſecat inſtrumentum, & quia viſibilis Sol filum colluſtrat per alterum foramen, ergò & viſibilis Sol in eadē ſuperficie, quæ propter filum eſt perpendicularis horizonti, ergò in verticalis plano, ergo & verus ſolis locus in eodem, cum ſemper verus locus imaginis ſit in eadem ſuperficie. Quod ubi contigerit inſtrumento (ſiquidem foramen alterum ſeu interſectio Eclipticæ & circuli latitudinis veriſſimum ſolis, ut ponitur, locum repræſentet) argumēto eſt, inſtrumentum ſic directum eſſe, ut centrum, foramina ſeu interſectio dicta & veriſſimus Solis in cœlo locus in unam cadant lineam rectam; nec ut id fiat, aliter collocari poſſe. Ingenioſum ſanè compendium refractiones inſtrumentaliter ſine calculo ex longitudine & latitudine eliminare per obſervationē, & longitudinem latitudinemq; tutā præſtare, imò & refractiones ipſas per omnia tria rectanguli latera metiri. Poſſit & ad parallaxes transferri. Ego ſanè de Waltheri diligentia, jam, poſtquam meipſum explicatione loci adjuvi, paulò minus dubito, quàm Tycho fol. 91. Progymnaſmatum.


IOAN.

IOANNIS DE MONTEREGIO GERMANI, VIRI UNDECUNQUE DOctiſſimi, de Cometæ magnitudineq;, ac de loco ejus vero Problemata XVI.

Problema Primum.

Distantiæ Cometæ à terra investigandæ preambula quædam accomodare.

QUoniam centrum oculi quidem conſideratoris diſtat,à centro mundi: centrum autem Cometæ ab utroque eorum removetur, neceſſe eſt tres rectas memorata tria puncta jungentes ſemper concurrere ad angulos,niſi unum eorum quodlibet ex directo reliquorum duorum fuerit ſitum , id eſt, dum una & eadem recta linea, dicta tria puncta complectitur, quod quidem evenit Cometa ſupra verticem capitum conſtituto, cum etiam idem eſt locus verus Cometæ in cœlo & locus viſus,alibi enim Cometa exiſtēte, ſemper hæc duo loca diſcrepant,atque eo amplius quo Co-



Digitized by Google

meta ipſe à ſummitate capitum remotior invenietur. Locum autem verum Cometæ à vertice capitum declinantis, viciniorẽ eſſe ipſi vertici capitum, quàm locũ viſum, facile docceberis, ſi prius à cẽtro mundi centroq; viſus duas rectas lineas in centro Cometæ confluentes, easque ultra porre-eduxexeris, donec ad duo puncta primi mobilis deſinant, nã quæ à centro mundi egreditur, & ſi prius quam Cometã offendat, inferior ſit, reliqua de centro viſus exeunte, tamen ultra Cometam evadentes eas mutatis intelliges vicibus. Quæ res picturæ officio comodius lucubrabitur. Sit circulus A B C D, vice orbis magni, cujus reſpectu moles terrę inſenſibilis accipitur, ſuper centroque ejus quod ſit E, circulus maximus in Sphæra terræ deſcribatur, duobus caracteribus H, & L, repreſentandus, ſitque H, tanquam centrũ viſus in ſuperficie terræ, extenſa demum E H, ſemidiametro terræ utrinque, donec occurret circumferentiæ circuli A B C D, in duobus punctis A, quidem ſublimiori, D, autem humiliori, erit A, punctus vertici capitis ſuprapoſitus, ſtatuaturque centrum Cometę extra diametrum, A D, in puncto G, & ducantur duæ rectæ à notis E, & H., per ipſum G, punctum occurſuræ ambitui circuli memorati in punctis B & C, erit itaque B, locus verus Cometæ propinquior puncto A, quam C, locus viſus ejuſdem. Quod ſi ſtatuiſſemus Cometam in A D, diametro, nemini dubium videretur, locũ verum ejus à loco viſo non differre. Cæterum ſi educatur ſemediameter E K, æquediſtans lineæ H G, punctus K, inſenſibiliter à puncto C, removebitur, quod totam terram apud orbem A B C D puncti vicem obtinere ſubjectum ſit, quemadmodum Ptolemęus etiam in quinto magnę compilationis ſuæ circa diverſitatem aſpectus lunæ ratiotinatus eſt, unde non injuria duorum punctorum C, & K, alterum pro

altero

altero ſumere licebit, & quamvis centrum Cometæ punctum c, præoccupet oculo in h, exiſtente, non tamen niſi punctus k, conſideratori per inſtrumentum innoteſcit, nam angulus a h c, inſtrumenti officio deprehenſus, æquatur angulo a e k, cujus cum vertex in centro circuli, a b c d, quieſcat, ejus ad quatuor rectos proportio cognita, ipſius arcus reſpectu totius circumferentiæ rationem latere non ſinet. Eſt autem punctus a, poſitione datus quamobrem & punctus k, poſitionem habebit notam, punctum autem c, quamvis angulus a h c, conſtet, nemo ſcrutabitur niſi prius ſemidiametri terræ e h, ad ſemidiametrum e a, proportionem dedicerit. Sive igitur punctũ c, appellatione loci viſi, ſive punctum k accipias, nihil intererit quod à propoſito conſequendo nos arceat, non enim naturæ theſauros prorſus evacuare, ſed in pleriſque ſcibilibus ipſi veritati propinquum deguſtare mortalibus conceditur. Similiter & ſi arcus b c, diverſitas aſpectus Cometæ diffiniatur, quod ejus verum atque viſum intercipiat locum, arcus tamen b k, eodem vocabulo diverſitatis aſpectus nominari merebitur, cum & inſenſibiliter ab ipſo arcu b c, differat, & propoſiti attingendi facultatem nobis tribuat, veluti inferius explanabitur. Nunc quo pacto memorata diverſitas aſpectus Cometæ inquirenda ſit operæprecimum differemus, qua quidem neglecta, neque intervallum Cometę & centri mundi, neque corpulentiam ejus, aut alia hujuſmodi metiri licebit.


Pro-

Digitized by Google

Problema Secundum.

Diverſitatem aſpectus Cometæ in circulo altitudinis percontari.

Considerandæ ſunt in primis duæ altitudines ejus quam diligentiſſimè cum azimuth ſuis, ambæ videlicet aut ante meridianæ, aut poſtmeridianæ. Quibus deprehenſis hac gradiemur via. Sit circulus meridianus A B C D, ſub quo medietas horizontis orientalis pro libito B E D. Cometa ſecundum veritatem quidem intelligatur in G puncto. dimiſſóque à polo horizontis Z, quadrante Z K, per locum verum Cometæ in cœlo, ſignetur in eo locus viſus Cometæ per notã O, oportet enim ſemper in eodem circulo altitudinis utrunque locum & verum ſcilicet, & viſum reperiri, arcus ſemidiurnus Cometę verus ſit A E, & arcus ſemidiurnus puncti O, ſit Q S. A polo denique mundi H, Boreali ducantur duo arcus circulorum magnorum H G, & H O. Hæc quidem circa primam conſiderationem, In ſecunda autem conſideratione locũ verum Cometæ nota L, repreſentet per quã ex polo horizontis Z, deſcẽdat quadrans circuli magni Z L R, ductoque arcu circuli magni H L, qui erit æqualis arcui H G, con-



ſtituatur

ſtituatur angulus L H N, æqualis angulo G H O, ducendo etiam arcum, H N, æqualem ipſi H O arcui, palam itaque quòd ſicut in medio tempore duarum conſiderationũ punctus G, primi mobilis ad ſitum L, ita punctus O, ad notam N traducitur, cum duo quidem anguli, G H L, & O H N, æquales ſint invicem, Cometam autem non niſi ad motum primi mobilis in tantulo tempore moveri imaginemur. Demiſſo igitur à polo horizontis quadrante magno Z P, per ipſum punctum N, ſignetur locus viſus Cometæ in ſecunda conſideratione puncto M, ac tandem adjungantur duo arcus circulorum magnorum L N, & M N. Iam ad argumentum deſcendemus. Per conſiderationem primam cognoſcitur arcus Z O, diſtantia ſcilicet loci viſi à ſummitate capitum, invenitur etiam angulus B Z K, eſt autem Z H, complementum latitudinis regionis notum. Triangulus itaque Z O H, duo latera habet cognita cum uno angulo, quamobrem arcus H O, innoteſcet cum angulo Z H O, qui eſt diſtantia puncti O, à meridiano, angulus quoque H O Z, non ignorabitur. Cum autem tempus medium inter duas conſiderationes ſit cognoſcibile, erit angulus G H L, notus & ei æqualis N H O, reliquus ergo angulus Z G N, haudquaquam latebit. Vterque autem arcuum Z H, & H N, notus exiſtit, quare & arcus Z N, innoteſcet cum angulis Z N H, & N Z H. Item per conſiderationem ſecundam arcus Z M, addiſcitur cum angulo B Z R, dempto igitur angulo B Z R, ex angulo B Z P, noto propter angulum N Z H, relinquetur angulus M Z N, cognitus, cumque duo arcus Z M, & Z N ſint noti, erit & arcus M N, cognitus cum duobus angulis Z M N, & Z N M. Duo autem trianguli L N H, & G H O, ſunt æquilateri & æquianguli, &

erat angulus G O H, pridem cognitus, cui æqualis eſt L N M. Item angulus Z N H, notus declarabatur, totus ergo angulus M N H, ex duobus notis conflatus innoteſcet, ex quo ſi dempſeris angulum L N H, relinquetur angulus L N M notus. Triangulus itaque L M N, latus M N, habet menſuratum cum duobus angulis L M N, & L N M, unde uterq; duorum arcuum L M, & L N, notus convincitur. Eſt autem arcus L N, æqualis arcui G O. Qui erat diverſitas aſpectus Cometæ in prima conſideratione, arcus autem L M, eſt diverſitas aſpectus Cometæ in ſecunda conſideratione, quarum gratia hucuſque fatigati ſumus. Hęc autem omnia quemadmodum ſupra monuimus, ſupponunt Cometam in tempore medio duarum conſiderationum non moveri, niſi ad motum primi mobilis, qui etſi interea moveatur, in tempore tamen adeo brevi haud multum ſenſibilis erit motus ejus proprius. Longe autem inſenſibilius variabitur arcus H G, diſtantia videlicet Cometæ à polo mundi ſecundum veritatem.


Problema Tertium.

Aliter idem abſolvere.

Notanda eſt altitudo Cometæ antemeridiana, vel poſt meridiana cum arcu azimuth ejus, inſtanſque hujuſmodi obſervationis animadvertendum eſt, ſed & inſtans quo Cometa ipſe meridianum poſſidet, non eſt negligendum, quod facile fiet per obſervationem cujuſpiã ſtellulæ fixæ locum notum habentis, erit itaq; tempus medium inter duas conſiderationes notum. Sit itaque nunc meridianus circulus A B G D, ſub quo dimidius horizon

orienta-

orientalis B E D, & medietas æquatoris A E C. Cometa autem in obſervatione antemeridiana puncto G, ſignificetur ſecundum veritatem, demiſſoque ex polo horizontis Z, quadrante magno Z M, per punctum G, ſignetur in eo locus viſus Cometæ puncto O, polus denique mundi H, borealis initium eſto commune duorum quadrantum magnorum H K, & H L, per duo puncta G & O, tranſeuntium. Cum itaque tempus duas memoratas conſiderationes complectens ſit notum, erit angulus G H Z cognitus, propter azimuth autem notum, angulus quoq; G Z H cognoſcetur, arcus in ſuper Z H, qui eſt complementem latitudinis regionis, non ignorabitur. Triangulus itaque G H Z, latus unũ, Z H, notũ habens cum duobus angulis ſuis, latus aliud G Z, menſurandum præbebit, arcum autem O Z, inſtrumenti officio didiciſſe oportuit, quippe qui diſtantiã Cometæ viſam à vertice capitum complectitur, quamobrẽ reliquus arcus G O, non latebit, qui eſt diverſitas aſpectus Cometæ in circulo altitudinis. Non aliter ratiocinandum foret ſi conſideratione poſtmeridiana uteremur. Quod ſi Cometæ proprium in tempore medio duarũm conſiderationum aliquid erroris ingerere ſuſpiceris, hac lege animo ſatisfacies tuo. Motum proprium Cometę in uno die naturali deprehendas: hinc pro tempore medio duarum conſiderationum qnantus ſit ejus motus proprius addiſcas, cui




denique quantum de æquatore reſpondeat, facile ſcrutaberis, & ſecundum ejus quantitatem angulũ G H Z, vel majorem vel minorem, ſi res ipſa poſtulat, conſtitues. Motum autem Cometę proprium in die naturali prope verum hac habebis via. Conſidera verum locum Cometæ initio apparationis ſuæ, verumque locum ejus in fine apparationis, & ſpatium à Cometa pertranſitum in numerum dierũ mediorum diſtribue, habebis enim ferme motũ Cometę diurnum, quem petebas.

PROBLEMA QVARTVM.

Quod præcedentes tradiderunt, alijs argumentis concludere.

COMETA nonnunquam meridianum occupat ſole ſupra horizontem exiſtente, ac quo minus oculo deprehendatur, efficiente, ſi tamen & ante Solis ortum & poſt ejus occaſum videatur, tametſi meridianum haudquaquam obtineat, hiſce fruemur rationibus. Conſiderabimus duas altitudines Cometæ ante meridianam ſcilicet & poſtmeridianam æquales cum gradibus azimuth: deinde figurationi incumbemus, in qua circulus horizontis ſit A B C D, ſupra quem dimidius meridianus D Z B, arcus diurnus Cometæ, quem videlicet raptu primi mobilis deſcribit, eſto C K A, intelligaturque Cometæ locus verus prius quidem in G, puncto antemeridiano, deinde autem in puncto M poſtmeridiano, demiſſisque ex polo horizontis Z, duobus quadrantibus magnis Z L, & Z K, per duo puncta G & M. Fingamus punctum O, locum viſum.



viſum Cometæ ante meridianum, punctũ vero N, item locũ viſũ ejus poſtmeridianũ, duobus arcubus O L, & N K, ęqualibus exiſtẽtibus, veluti ſuperius monebatur, quo demum evenire neceſſe eſt, ut duo quoque arcus G L, & M K, æquales invicem reperiantur, neque ob eam conditionẽ duorum arcuũ G K, & K M, alter alterũ excedere poterit. Quòd ſi à polo mundi H, boreali ad duas notas G & M, duos arcus circulorum magnorum produxeris, æquales eos eſſe doctus confitebitur Geometra. Iam quoque tempus medium duarum conſiderationum noviſſe oportebit, id autem patrocinio ſtellæ fixę cujuſlibet notæ non erit difficile percontari, quo cognito & arcus G M, & angulus G Z M, noti proſilient: hinc etiam angulus G H K, ſive G H Z, innoteſcet, quod uterque eorum ſit medietas anguli G Z M, Angulum præterea G Z K, inſtrumenti officio, quemadmodũ in præcedentibus comprehendi oportet, cujus quidem magnitudinem determinat arcus azimuth, atq; idcirco reliquus de duobus rectis, angulus ſcilicet G Z H, non ignorabitur, cumque arcus Z H, ſit complementum altitudinis poli ſeptentrionalis, habebit triangulus G Z H, duos angulos G Z H, & G H Z, notos cũ latere H Z, quare uterq; arcuũ H G & Z G, notus emerget.

 Erat

Erat autem & arcus Z O, notus per obſervationem, idcirco reſiduus G O, non ignorabitur, qui eſt diverſitas aſpectus Cometæ in circulo altitudinis quæſita. Sed hic iterum ſupponitur Cometam in tempore medio duarum conſiderationum non moveri ſenſibiliter motu proprio. Si igitur propter motum ejus proprium negocium hoc cupis reddere accuratius, fac quemadmodum in præcedenti monuimus. Cæterum ex hoc proceſſu conſtabit etiam declinatio vera Cometæ ab æquatore. Nam arcus H G, eſt complementum hujuſmodi declinationis, propter angulum autem G H K notum, cum inſtanti ipſo conſiderationis, notus elicietur punctus eclipticę; cum quo Cometa ipſe cælum mediat, vnde etiam locus verus Cometæ in Ecliptica cum ejus latitudine deprometur.

PROBLEMA QVINTVM.

Locum verum Cometæ in Ecliptica inſtrumenti adjutorio cognoſcere.

CONSIDERA Cometam quando à puncto orientis diſtat ſecundum longitudinem Eclipticæ per quartam circumferentiæ partem tunc etenim locus ejus verus à viſo loco non differet, quocirca loco ejus viſo per inſtrumentum armillarum aut aliud ejuſmodi comprehenſo, locus quoq; verus habebitur. Cum autem difficile ſit explorare ſitum Cometæ ejuſmodi, animadvertendum cenſeo, tantam eſſe diſtantiam inter nonageſimum gradum ab aſcendente, & meridianum ſecundum diviſiones horizontis, quanta eſt amplitudo ortus aſcendentis,

dentis, quod ſi Geometrice demonſtratum deſideres, alio concedendum eſt. Obſervabis igitur quando diſtantia Cometæ à meridiano ſecundum gradus horizontis, æqualis erit amplitudini ortus aſcendentis, tunc enim aptato inſtrumento per ſtellam quamvis notam conſtabit locus verus Cometæ, qui quærebatur.

Problema Sextum.

Diverſitatem aſpectus Cometæ in longitudine dimetiri.


Ex præcedenti habes locum verum Cometæ, conſidera itaque Cometam alibi quam in nonageſimo gradu ab aſcendente exiſtentem, inſtrumentum enim dabit locum ejus viſum. Sic ergo intervallū duorum locorum, veri ſcilicet & viſi innoteſcet, quod vocant diverſitatem aſpectus in longitudine. Quod ſi Cometa ſenſibiliter motus, videretur motu proprio in tempore medio duarum conſiderationum, meminiſſe oportebit eorum quæ ſupra monuimus. Nam per motum Cometæ proprium tempori medio conſiderationum debitū, locus ejus verus ſive per additionem ſive per ſubtractionem in altera ſcietur conſideratione.

Problema Septimum.

Latitudinem Cometæ viſam, ſi quam habeat, explorare.

Ordinato inſtrumento per aliquam ſtellam fixam, vt aſſolet, facile cognoſces latitudinem ejus quæſitam, ſi præ-

præceptis Ptolomei circa obſervationes lunares, ſatis invigilaveris. Si tamen obſervatione ſimpliciori id libeat conſequi, conſidera diſtantiam viſam Cometæ à ſummitate capitum cum gradibus azimuth: altitudinemque cujuſpiam ſtellæ fixæ notæ, quatenus inſtans conſiderationis pateat. Deſcripto igitur circulo meridiano A B H Z, & ſub eo horizonte orientali dimidio A L B, locus viſus Cometæ ſit O punctus, per quem deſcendat ex polo Z, horizontis quadrans Z L, polus mnndi ſeptentrionalis ſit H, circa quē circulus arcticus lineetur, & in ejus circumferentia ſignetur polus Eclipticæ K, ducanturque tres arcus O K, O H, & H K.



Ex arcu igitur Z O, per obſervationem cognito cum angulo O Z H, & Z H, complemento altitudinis poli, notus arcus erit O H, qui eſt complementum declinationis viſæ ipſius Cometæ, angulus etiam Z H O, innoteſcet, propter inſtans autem conſiderationis notum conſtabit punctus Eclipticæ in meridiano exiſtens, cumque arcus H K, prolongatus ad partem K, tranſeat per principiū Capricorni nota erit aſcenſio recta reſpondens arcui Eclipticæ inter principium Capricorni & Medium cœli intercepto. Hæc autem aſcenſio recta determinat angulum Z H K, ipſumque notificat, quo ſociato ad angulum Z H O, totus angulus O H K, cognitus veniet. Eſt autem arcus H K, æqualis maximæ declinationi Solis, & arcus O H, pridem

erat

erat cognitus, quare & arcus o k, non ignorabitur, cujus complementum eſt latitudo ipſa Cometę, quã quęſivimus. Cognoſcetur inſuper angulus h k o, cui reſpondet diſtantia loci viſi ipſius Cometæ in Ecliptica à principio cancri, quare tandem locus viſus Cometæ in Ecliptica non latebit. Quamvis autem polus Eclipticæ k, diverſimode ſituari poſſit in circumferentia circuli ſui, non tamen difficilior ex hoc reddetur inventio anguli o h k, nonnunquam enim oportebit angulum z h k, demi ex angulo o h z, ut angulus o h k, relinquatur cognitus: in præſenti tamen figuratione duos prædictos angulos conjungi oportuit.


Problema Octavum.

Diverſitatem Aſpectus Cometæ in circulo altitudinis aliter quàm ſuperius inveſtigare.

Hujus gratia pingatur circulus meridianus, a b g d, ſub quo dimidius horizon orientalis b e d, & medietas eclipticæ a e c. Verus locus Cometæ ſit g, viſus autem o, amboq; hæc loca ſint in quadrante z n, à polo horizontis z deſcendente. Polus mundi ſeptentrionalis ſit h, circa eum circulus arcticus, & in ejus circumferentia punctus k, polum Eclipticæ borealem repræſentet, à quo per duo puncta g & o, duo quadrantes magni k l, & k m, incedant ad Eclipticam terminati. Erit itaque l locus verus Cometæ in Ecliptica, m autẽ locus viſus, atq; id circo arcus l m, qui eſt

 diver-

Digitized by Google




diverſitas aſpectus Cometæ in longitudine ex ſupra memoratis cognoſcetur. Is arcus L M, determinat quantitatem anguli G O K. Quare & ipſe angulus notus. Ducto inſuper arcu H O, & cognito per obſervationē arcu Z O, quæ eſt diſtantia viſi loci Cometę à ſummitate capitum, itemque angulo O Z H, noto per inſtrumentum, erit uterque angulorum Z O H & Z H O, cognitus cum arcu H O, hinc ex triangulo O H K, propter duo latera O H, & H K, cognita cum angulo O H K, quemadmodum in præcedenti angulus H O K, innoteſcet cum arcu O K, ſcilicet complemento latitudinis viſæ. Demendo igitur angulum H O K, ex angulo Z O H, relinquetur angulus G O K notus. Erat autem prius angulus G K O, cognitus. Habebit ergo triangulus G O K, duos angulos notos cum latere O K, unde & arcus G O, non latebit qui eſt diverſitas aſpectus Cometæ in circulo altitudinis quæſita. Ex hac demum diſpoſitione cognoſcetur arcus G K, & ideo etiam arcus G L, latitudo ſcilicet Cometæ vera ab Ecliptica. Illud quidem ſtante figura

gura præſenti: nam ſi arcus G K. quadrans inveniretur certum eſſet Cometæ locum verum in Ecliptica abſque latitudine comprehendi.

Problema Nonum.

Locum Cometæ viſum ſubtiliter agnoſcere.

Conſiderandæ ſunt duæ ſtellæ fixæ prope Cometam, & diſtantia viſi loci Cometæ ab utraque earum deprehendenda, deinde ad figuram veniendum in qua altera duarum ſtellarum conſideratarum ſit A, reliqua vero B, portio Eclipticæ in qua ſunt loca ipſarum ſtellarum ſit D G, cujus polus H, ex quo duo quadrantes magni H D, & H E, deſcendant per puncta A, & B. Locus viſus Cometæ ſit in C, puncto, per quem demittatur quarta circuli magni ex polo Eclipticæ, quæ ſit H G, erit itaque G, locus viſus Cometæ in Ecliptica, quem quærimus, & arcus G C, latitudo ejus viſa, ductisq; tribus arcubus A B, A C, & B C, magnorum circulorũ, cum duæ ſtellæ A & B loca nota habere ſupponantur in Ecliptica, cum latitudinibus cognitis, erit arcus D E, ſcitus, qui determinat quantitatem anguli D H E, ſive A H B. Duę demum latitudines A D & B E notę, ſua com-



 plementa

plementa ſcilicet duos arcus A H & B H notificabunt, quare trianguli A H B, duo latera A H & H B, nota habentis cum angulo A H B. Latus quoque A B cognitum, accipietur diſtantia videlicet duarum ſtellarum. Angulus etiam B A H non ignorabitur. Deinde cum duo arcus A C & B C per conſiderationem ſint deprehenſi arcus autem A B per argumentationē innotuerit, habebit triangulus A B C tria latera cognita, & ideo angulus ejus B A C non latebit: quem ſi dempſeris ex angulo B A H pridē noto, relinquetur angulus H A C menſuratus. Triangulus itaque H A C, duo latera H A & A C, nota habens cum angulo H A C, angulum ſuum A H C, notum reddet cum arcu H C. Anguli autem H A C, quantitatem determinat arcus D G, quare & ipſe notus. Erat autem punctus D cognitus, unde & punctus G, latere non poterit. Sic locum Cometæ viſum ſecundum longitudinem Eclipticæ notum effecimus. Arcus autem C G latitudinis ſcilicet viſæ notus, declarabitur propter complementum ſuum H C, ſuperius cognitum. Tandem igitur & locum Cometæ viſum & latitudinem ejus viſam manifeſtavimus, quod libuit emoliri. Poteſt autem hujuſcemodi negotij figuratio diverſimoda incidere, non tamen argumentatio multum variabitur. Libellusque noſter triangulorū ſphæralium qualemcunque ſeſe figuratio præbuerit, ad metam te traducet optatam.


Pro-

PROBLEMA DECIMVM.

Diſtantiam Cometæ à centro mundi, centroque viſus dimetiri.

CIRCVLVS altitudinis A B C D ſuper centro E conſtitutus, repreſentet orbem magnum, cujus reſpectu terra puncti vicem habere dicitur. Circulus H L terræ ſerviat, diameter A D per punctum A vertici capitis ſuprapoſitum, & H centrum viſus, quod eſt tanquam in convexo terræ, incedat. Sit G centrum Cometæ, eductisque lineis duabus per centrum Cometæ E B quidem à centro mundi, H C autem ex centro viſus, donec occurrant orbi magno ſupra memorato in punctis B & C. Iam conſtat B quidẽ eſſe locũ verum Cometę, C autẽ locum viſum, vnde & arcus B C, diverſitas aſpectus Cometæ in circulo altitudinis definietur, ſi denique ex centro mundi egrediatur E K æquediſtans ipſi H C, punctus K inſenſibiliter differet à puncto C, quemadmodum in primo problemate explanavimus. Quærimus igitur duas lineas E G & H G, quarum altera quidem E G, diſtantiã Cometę à centro mũdi ſignificat. Altera vero H G remotionem ejus à centro viſus denotat. Quęrimus inquã, ſecundum aliquam menſuram, ſive famoſam ſive notam, vtpore reſpectu ſemidiametri terræ, quam repreſentat linea E H, quod pulchre conſequemur, ubi lineam G H prolongaverimus, donec E N recta ex centro mundi veniens, perpendiculariter ei poſſit inſiſtere. Erit enim per obſervationẽ angulus A H G, & ideo ei cõtrapoſitus E H N cognitus,

Digitized by Google



cum punctus H tanquam centrum inſtrumenti habeatur. In triangulo itaque E H N, rectangulo proportio lineæ H E, ad utramque rectarum E N & N H, nota reddetur, ſed & per argumentationem multiplicē ſupra expreſſam, arcū B K metiemur, qui & angulum B E K. & idcirco ei coalternum E G N notificabit. In triāgulo igitur G E N proportio G E ad utramque rectarum E N & N G nota proſiliet. Cum itaque utriuſque duarum linearum G E & E H ad perpendicularem E N proportio ſit cognita, earum inter ſe quoque non latebit proportio. Sic diſtantia Cometæ à centro mundi patefacta eſt. Erat autem proportio G E ad G N nota, vnde & N G reſpectu H E nota fiet, cujus etiam reſpectu pridem notificavimus lineam N H. Duæ ergo lineæ G N & N H ad lineam E H notis referentur proportionibus, quarum alteram minorem ſcilicet N H ex altera tota N G, ſi reiecerimus, manebit linea H G. Diſtantia Cometæ à centro viſus reſpectu lineæ E N cognita, quod libuit addiſcere.

PRO-

Digitized by Google

PROBLEMA VNDECIMUM.


Quot miliaria centro Cometæ, centroque mundi, vel centro viſus, interjaceant, ſaciliter edocere.

QUICQUID de miliaribus dicitur, ad aliã etiam quamcunque menſuram, ſive uſitatam, ſive pro libito aſſumptam, enunciare licebit. Semidiametrum tamen terrę prius cognitam eſſe oportet per eandem menſuram. Id autem quo pacto fiat, neminem latere arbitror. Quis enim ex ambitu terræ, per quamcunq; menſuram noto, ſemidiametrũ ejus metiri neſciet? cognita igitur ſemidiametro terræ in miliaribus, Verbi gratia, cum ex præmiſſa didicerimus proportionem ejuſdem ſemidiametri ad utranque prędictarum diſtantiarum, nota habebitur utraque earum in miliaribus. Eſt enim numerus miliarium, quæ complectitur linea E H ad numerum miliarium, quæ in linea E G reperiuntur, tanquam numerus menſuræ cujuſcunque in linea E H, computatę ad numerũ ejuſdem menſuræ, quem linea E G aſſumit. Tres itaque tales numeri noti, quartum notificabunt proportionalem, qui quærebatur.

PROBLEMA DVODECIMVM.

Diametrum Cometæ viſualem inſtrumenti, artificio deprehendere.

APtabis regulam ſubtilem, longitudinis quinque aut ſex vel plurium cubitorum, quam divides in partes æquales



les quotlibet, quo tamen plures, eo laudabilius erit opus. Hanc repræſentare volumus per lineã A B, cui aliam coaptabis regulam C D ad angulos rectos, ita ut duo ejus brachia utrinque ſint ęqualia. Hæc regula mobilis ſit ſupra regulam A B. in motuq; ſuo ſemper angulos rectos cũ ipſa regula A B contineat, cujus diviſiones ſint, quales in regula A B pręſignavim⁹. In tribus denique punctis A C, & D tres claviculi,

Digitized by Google

claviculi, ſubtiles aut acus inſigantur. Sicque abſolutum habebis inſtrumentum, quo uteris hoc pacto. Pone punctum A, prope oculum tuum dextrum, clauſo ſiniſtro, & regulam A B, dirigas ad centrum Cometæ, quod commodè fiet, ſi ipſi ſedem aliquam ſubſtituas, qua ſic manente, move regulellam C D hinc atq; inde donec ipſa occupabit totam diametrum Cometæ. Quo facto numerum particularum, quæ ſunt inter A punctum & C D, regulam mitte in tabulam huic negocio accommodatam, & ex directo ejus numeai reperies diametrum Cometæ viſualem. Hanc autem tabulam alibi componendam trademus. Tali aut alio ſimili inſtrumento uti poteris, non modo ad diametrũ Cometæ menſurandam, ſed & Lunę & Solis, modo lumen ejus oculum non abſterreat.

Problema Decimumtertium.

Diametrum corporis Cometæ ad terræ ſemidiametrum, ſub proportione certa conferre.


CORPUS Cometæ in hac inquiſitione tanquam ſphæricum ſupponimus, cujus circulus major ſit C D, ſuper centro B lineatus, centrum viſus A, cum centro circuli C D, continuetur per lineam A B. Ducantur demum duę rectæ A C & A D circulum C D contingentes in duobus punctus C & D, duas ſemidiametros B C & B D terminantibus. Conſtat itaque Cometam ipſum videri ſub angulo C A D, & ideo arcum qui ſubtendit angulum

quam notam ſubjiciamus, corpulentia quoque Cometæ manifeſtabitur.

Problema Decimumquintum.

Cauda Cometæ quantam habeat longitudinem doctè ſciſcitari.

Priusquam id aggrediemur, intellexiſſe oportet, caudam Cometę non differre ſubſtantialiter à corpore Cometæ, verumtamen rariorem atque leviorem exiſtere, propter raritatem enim remiſſius lucere, propter levitatem autem ſurſum tendere perhibetur. Quo demum evenire æſtimandum eſt rectam à centro mundi ad centrum Cometę applicatam, ſi ultra porrigeretur per medium caudæ evadere, perinde ac ſi fuerit axis coni fumei, quem appellant caudam Cometæ. Præterea inſtrumenti officio, angulus quem ſubtendit ipſa cauda in viſu obſervandus eſt.



Quo autem ingenio id fiat, haud cuiquam difficile videri debet, cum & ſuperius hujuſcemodi inſtrumento uſi ſimus. Nunc propoſiti abſolvendi gratia pingo circulum magnum A B C D, cujus reſpectu circulus terræ H L, inſenſibilem habet quantitatem. Centrum mundi ſit E, duo puncta A & D terminent diametrum A D, quo-

rum alterum videlicet A, vertici capitum ſupraponatur. Alternm autem locum teneat oppoſitum. Centrum viſus ſit H, à quo & centro mundi E, per centrum Cometæ G, evadant duæ rectæ, quarum altera quidem E B, ad locum verum Cometæ, punctum B deſinat. Altera vero H C locum Cometæ viſum, punctum C offendat, cui æquediſtans B K producatur. Arcus igitur B K inſenſibiliter ab arcu B C, diverſitate ſcilicet aſpectus Cometæ differens, ex ſuperioribus innoteſcet, unde & angulus B E K, atque idcirco ſibi alternus E G H, haud quaquam latebunt. Sit demum longitudo caudæ G N, ſubtendens angulum viſualem G H N inſtrumenti auxilio menſuratum, adjunctaque recta H N, triangulus G H N duos angulos apud G & H cognitos habebit, G quidem propter conſequentem E G H notum, H autem per inſtrumentum. Latus inſuper H G ex ſupra memoratis cognitum, quamobrem latus ſuum G N, ſcilicet longitudo caudæ non ignorabitur. Quod ſi deinceps rectam G N, ad terræ ſemidiametrum libeat conferre, linea H G, ſumpta mediatrice, cujus reſpectu rectam G N jam nunc menſi ſumus: ipſa autem per relationem ad E H paulo ſuperius cognoſcebatur, erit & ipſa G N eodem reſpectu menſurata, quod erat lucubrandum.

PRO-

PROBLEMA DECIMUMSEXTUM.

Groſsiciem hujuſmodi caudæ deinceps indagare.

CAUDAM hujuſmodi teretem exiſtere convenit. Aut igitur cylindricæ erit figuræ aut Conicæ. Si cylindricæ, diametrum Cometæ ſuperius cognitam in ſeipſam ducemus, indeque productum in longitudinem caudæ. Columnæ enim quadrilatere hoc pacto creatæ ad caudam Cometæ proportio erit, ſicut quadrati circulum ambientis ad ipſum circulum, quę fermè eſt ut quatuordecim ad undecim. Groſſities igitur cylindri hujuſmodi innoteſcet, cum columnam quadri lateram notam reddiderimus. Si vero fuerit Conica baſim quidem habens in corpore Cometę, verticem autem ſublimem, inventa groſſitie cylindri, ut prætactum eſt, tertiam ejus partem pro groſſitie caudæ computabimus. Kylindrus enim Coni eandem ſecum baſim habentis, triplus demonſtratur.

FINIS.

OMNINO facere haud potui ut graviſſimum Ioannis Schoneri lapſum in uſu radij aſtronomici ſilentio tranſmitterem. Is enim folio undecimo ubi uſum ejus docet & calculo proſequitur longe abit à vero diverſus. Enimvero cum radius nihil ſit aliud quam norma geminata, cum tranſverſarium utrimque indici ad perpendiculum inſiſtat, atque ita duo rectangula triangula conſtituat: ſequitur in ejus uſu compoſita hęc in ſua ſimplicia eſſe reſolvenda. Vt in citatæ paginę diagrammate C D tranſverſarium in indicem A B inſiſtens facit duo triangula rectangula A E D A E C. Itaque ad uſum in triangulo A E D rectangulo erunt aſſumenda A E ſegmentum indicis & E D dimidium tranſverſarij C D. atque inde per tangentium Canones datis cruribus anguli recti dabitur angulus acutus alteri cruri oppoſitus. Nam quemadmodum A E ſegmentum indicis ad E D ſemiſſem tranſverſarij: ita ſinus totus ad tangentem anguli E A D. Cujus duplum eſt angulus C A D totus, obſervatorum ſiderum diſtantia. Exemplum idem quod ipſe ponit hic uſurpabo. Anno 1475. de Octobris 17. mane inter horam ſecundam & tertiam obſervavit Bernardus Walterus Nuribergenſis diſtantiam Martis & Saturni, & deprehendit ſegmentum indicis 807. tranſverſarium autem utrimque ab indice pari intervallo prominens tantarum erat 210. Itaque ut 809. ad dimidium tranſverſarij 105 ita ſinus totus 10000000 ad 1301115 tangentem anguli E A D 7 grad. 24 minut. ſecund. 47. cujus duplum 14. grad. 49. minut. ſecund. 34. pro angulo C A D quæ vera erat inter Martem & Saturnum diſtantia. Quę ex illius Calculo datur 14 grad. 35 minut. ut proximè. 14 min. Iuſto minor.

Nam

Nam ille proportionem hoc modo tantùm inſtituiſſet ut 807 ad 210 tranſverſarium totum ita 10000000 ſinus totus ad tangentem 2602230. Cui reſpondet peripheria 14 gra.35 minut. ſecund. 10. Qui error etſi in minoribus adhuc minor evadat: ita contra in majoribus multo fit auctior. Regimantanus hoc ulcus non tetigit, nam iſta in magiſterio rectanguli clara eſſe exiſtimavit. Neq; Schonerum reprehendere potuit, cum liber iſte poſt ejus fata in lucem ſit productus. Hunc errorem ante nos Petrus nomus emunctæ naris homo, & Luſitaniæ Regum Mathematicus quoq; annotavit libri ſecundi capite ſexto, quẽ de Regulis & inſtrumentis inſcripſit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google